

www.e-rara.ch

**Richardi Dinothi Normanni Constantinatis de bello civili Gallico
religionis causa suscepto lib. VI**

Dinoth, Richard

Basileae, 1582

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-8712>

Richardi Dinothi de bello civili Gallico, liber VI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

A RICHARDI DINO THĪ
DE BELLO CIVILI
GALLICO,

LIBER VI.

B  Onciliata inter Regem, & subditos pace graui periculo Gallia: videbatur liberata, & omnes populi, qui periculi magnitudine consternati fuerant, ad pacis nuncium ingentem lætitiā conceperant, magnāque prudentiæ laudem ijs tribuebant, qui ad clauum reip. sedentes incendium in ipso exortu restrinxissent. Et certè sublime ingenium, ac singularem industriam illorum decet admirari, qui duram temperatam sine vlllo damno auertere potuerunt, quæ Pontificiorū capitibus proculdubio impendebat, nisi in tempore ei. occurrissent. Non enim vires habebant Pontificij, quas hostibus tantis copijs instructis opponere possent; qui potiti victoria. quas voluissent pacis leges victis imposuissent. At statim emersere, qui pacem tolerabilibus conditionibus Reformatis datam ægrè admodum tulerunt, & Regem, vt paci tam pudendæ, & iniquæ (sicuti iudicabant) renuntiaret, sollicitarunt. Dolebant Pontificij, qui Reformatorum excidium ^{Pontificij} tamdiu meditati fuerant, tot inutiles sumptus fecisse, & la- ^{pacē refor-} ^{matīs datā} ^{ægreferūt.} cessitos hostes audaciores, & potentiores euasisse, & maximè Parisienses, qui maiorem bellicorum sumptuum partem fecerant. Adeo enim illis ira ob pacem Reformatis datam efferbuit, vt in ipsa publicatione edicti indignationem conceptam dissimulare non potuerint. Siquidem summi templi diuæ virginis dicati canonici canticum deo in gratiarum actionem ob redditam regno quietem canere recusarunt, & famosi libelli in compitis vrbis adfixi sunt accerbissimè eos insectantes, qui Regi authores fuerāt, vt tam damnosam catholicæ religioni pacem insensissimis hostibus daret. Nec ^{Reformati} ijs contenti Parisienses aliā ebullientis iracundiæ signa addi- ^{à Parisiens} dere. Cum locus Reformatis qui Lutetiæ habitabant, ^{sib. contu-} habendæ concioni, & alijs suæ religionis exercitijs ex- ^{melis affe-} tra urbem esset assignatus, & magnus ad eum populi con- ^{sti.}

cursus fieret; pueri à Pontificijs fuere incitati, qui redeunti- **A**
 bus à concione petulanter illuderent. Hi turmatim portas vr-
 bis exeuntes adgregantib. se eis impuris aliquot nebuloni-
 bus, Reformatos viros, ac mulieres in urbem reuertentes cō-
 uiciis, ac contumeliis adficiebant, vt iniecto metu inite in
 eos conspirationis ab exeundo posthac deterrent. Episco-
 pus Parisiensis legatus ad summum pontificem missus est, vt
 ab eo impetraret, Regem ex bonis ecclesiasticis ad quinqu-
 ginta milliā aureorum annui redditus vendere posse. Plenas
 etiam indulgentias admissorum criminum pro pijs catholi-
 cis impetraret. Pontificem ad Regia postulata procliuem in- **B**
 uenit, & reuersus Lutetiam indulgentias amplissimas pu-
 blicauit. Augustinēsiū templum designatum fuit, quo pœ-
 nitentibus ad promerendam delictorum veniam ire licebat,
 ad quod concursus vniuersi populi factus viam illi mōstrā-
 tibus, qui autoritate, & dignitate pollebant. In Norman-
 dia vicina prouincia cum passim Reformati suæ religionis
 exercitium ex beneficio edicti instaurarēt, Mattignonio pro-
 curāte Rex cum aulico comitatu eō perfectus est. Dum Rho-
 tomagi esset, archiepiscopus suggestum ministri conscendit,
 verbāque ad populum ad audiendam de more concionem **C**
 congregatum habuit, quibus eum monebat, & hortabatur,
 vt se ipsum pro vero pastore suo agnosceret, alioqui omnes,
 & singuli magno suo malo experirentur quam periculosum
 esset sectarijs adhærere, & à Romana ecclesia desciscere. Hoc
 inexpectatum Archiepiscopi facinus, vt Reformatos exter-
 ruit, ita prælatos ecclesiæ, & præfectos prouinciarum inci-
 tauit, vt illis graues molestias exhiberent violata regij edicti
 autoritate. Lugduni, & Aurelijs qui pontificiæ religionis e-
 rant nulla ratione adduci potuere, vt permitterent Reforma-
 tos suæ religionis exercitiū tumultibus bellicis intermissum **D**
 instaurare. Externæ copię nondum regno excesserant. quæ
 Reformatorum partes sequutæ fuerant in Burgundia erant;
 quæ Pontificijs militabant, in Campania deprædationibus,
 & prædis agendis adeo intentæ, vt miserorum agricolarum
 excidiū iurasse viderentur. Omnia in Gallia tumultibus, &
 querelis, horrore, ac metu ingentis calamitatis futuræ reple-
 bantur, nec vllum ferè reperire erat, qui præsentem rerū sta-
 tum egris oculis non inspiceret. Non enim Reformati tantū
 de illo conquerebantur, sed Pontificij etiam, & qui neutri
 parti

Papa quid
 Gallis Ca-
 tholicis cō-
 sedat.

Rhotoma-
 gi Archi-
 episcopi fa-
 ctum.

Catholici
 aduersus
 Regis edic-
 tum in to-
 ta fere Gal-
 lia mole-
 stias Refor-
 matis infe-
 runt.

Aparti erāt addiſti. Reformati quōd beneficioediſti ab aduerſarijs Pontificijs, qui vbiq̃ue ſerē contra ipſos conſpirabant vti prohiberentur: Pontificij quōd Caſimirus tamdiu cum ſuis copijs in fertiliffima regione cum maximo incolarum detrimento moraretur. Neutrales, qui pacem, & quietē omnibus rebus potiorē æſtimabant, quōd rem in nouum bellum propendere viderent, ad quod gerendum nouis exactionibus opprimerentur, & vtrique parti prædæ expoſiti eſſent, quōd in prioribus bellis graui ſuo dāno experti fuerant. Fœdus autem nouum inter Pontificios initum, quod **B** Sanctum vocabant, non obſcurum metum imminentis belli omnibus pacē amantibus iniiciebat. Meditatum, & conceptum primum fuit in Picardia: cuius exemplum aliq̃ prouinciæ ſtatim ſequutæ ſunt. Fuit autem fœdus illud in hanc formam conceptum:

In nomine ſanctę, ac indiuiduę Trinitatis, patris, & filij & ſpiritus ſancti noſtri, & vnici veri Dei, cui ſit honor, & gloria. Fœdus principum, regulorum, & nobilium Catholicorum debet eſſe, & fiet ad inſtaurandam in integrum legem Dei, ad

Nouum fœdus Catholicorum,

Creſtituendum, & retinendum ſanctiſſimum ipſius cultum ſecundum formam, & morem ſanctę Eccleſię Catholicę, apoſtolicę, Romanę, abiuratis omnibus erroribus & corruptelis ei cultui aduerſantibus. Præterea ad tuendū Regem Henricum tertium huius nominis in ſtatu, ſplendore, autoritate, cultu, obſequio, & officio, quę à ſubditis illi debentur, vt continetur in articulis, qui illi offerentur in comitijs, non alienis ab ijs, quos iurauit, & promiſit in ſua inauguratione ſe ſeruaturū, proteſtatus ſe nihil facturum quod trium regni ordinum determinationibus aduerſetur. Inſuper ad reſtituendum prouincijs huius regni, earūmq̃ ordinibus iura, prærogatiuas, immunitates, & antiquas libertates, quales erant tempore Cloduei Regis, qui primus religionem Chriſtianam amplexus eſt, & (ſi fieri poteſt) ad redigendum eas in meliorem ſtatum ſub huius fœderis tutela. Quod ſi impedimentum aliquod, contradicção, aut rebellio oboriatur aduerſus ea, quę in fœdere continentur à quocunq̃ue, & vndecunq̃ue venerit: fœderati obligabuntur non facultates omnes tantum, ſed propriam etiam vitam

profundero ad impediendos, castigandos, reprimendos eos, **A**
 qui fœderi aduersari voluerint, dareq; operam debebunt, ut
 omnia que in fœdere continentur adimpleantur. Quod si qui
 ex fœderatis à quoquam iniuria adsiciantur: socij non facul-
 tutibus, nec vite parcent, ut illatam iniuriam ulciscantur, si-
 ue via ordinaria magistratus opem implorantes, siue extra-
 ordinaria scelus armis vindicantes, idq; sine vlla personarum
 acceptione. Et si qui fœderatorum post datam fidem, & præsti-
 tum iuramentum quacunque causa, aut pretextu fœderi re-
 vuntiarent: (quod Deus auertat) eiusmodi refractarij, & re- **B**
 belles in corpore, & bonis cum omni seueritate pœnas luēt
 tanquam Dei hostes, sanctæ societati rebelles, & publicæ quie-
 tis perturbatores. neque ij qui tantum scelus punierint pote-
 runt ullo pacto, pro eo factō questionī subijci neque priua-
 tim, neque publicè. Vniuersi autem à confœderati iurabunt
 omnem expromptam obedientiam, & fidele obsequium se
 præstituros fœderis præfecto, qui ad illud conseruandum elige-
 tur, eius sequi imperium, consilium illi dare tum pro fœderis
 autoritate tuenda, tum contradicentium excidio sine ali- **C**
 cuius respectu, aut exceptione. Qui officio non satisfecerit,
 aut tergiuersatus vlla in re fuerit: ex constitutione & de-
 creto præfecti, cui omnes fœderati se submittent punietur.
 Omnes catholici siue ruri, siue in urbibus habitauerint cō-
 monefient, & inuitabuntur per gubernatores particulares huic
 societati nomina dare, viros, & arma pro viribus suppedita-
 re. Qui fœderi adscribi recusabunt, illius hostes iudicabun-
 tur, & digni quos confœderati omnibus modis persequantur.
 Prohibetur omnibus hoc fœdere sociatis lites, aut iurgia moue- **D**
 re, aut de vlla re contendere, nisi prius petita à præfecto ve-
 nia: qui secus agent, eius arbitrio, & sententia punientur. Si
 pro fœderis confirmatione, aut maiori fœderatorum securita-
 te fiat aliqua cum prouincijs huius regni conuentio societasue:
 in hanc formam concipietur, & ijs conditionibus firmabitur
 siue apud vrbes, siue ab illis exposcatur, nisi aliter visū fuerit.
 Qui in eam societatem recipiebatur proposito illi euā-
 geliorum codice hoc iniurandi nexu se adstringebat.

A Iuro deum creatorem tãgens hoc euangelium, & sub pœna anathematis, & damnationis aeternæ, quod ad hanc sanctam societatem catholicam me contuli secundum formam, quæ mihi prælecta est iuste, fideliter, & sincere siue ad præcipiendum siue ad obediendum, & promitto quantum vitam habeo charam, quantum decus mihi curæ est, usque ad extremum halitum me eam observaturum nulla in re præuaricando, aut tergiuersando quodcumque in contrarium mandatum, prætextus, plausibilis excusatio, aut commoda occasio se offerat.

B Hæc Pontificiorum societas quæ sacri fœderis nomen sortita est, non grauatur à pontifice Romano confirmata fuit, qui non insulse iudicabat, si diu vires illa retineret, reformatæ religionis exercitium sensim posse aboleri, & omnem doctrinam ab ecclesia Romæ minus probatam ex Gallia profligari. verum non solum à Gallis, sed alijs etiam populis in singulis articulis tam iniqua iudicata est, & contra omnem æquitatem concepta, familijsque Valesiæ, & Borboniensi tam ignominiosa, ut eam explodendam omnes æqui, & pacis amantes communibus suffragijs cœsuerint. In principio autem Reformatos in magnam sollicitudinem cōiecit, & plerique omnes putabant eam conniuetibus, aut etiam dissimulanter procurantibus regijs administris meditatam, & conceptam fuisse ut edicto pacificatorio autoritas omnis conuelleretur. Quidam Pontificios præueniendos dicebant ut minus nocere possent, alij bellicas clades horrentes pacem esse colendam, & nihil innouandum censebant, qui adeo metuebant ne aliqui ex suis noua de bello consilia agitarent, ut ijs qui ipsorum tutelam suscipiebant, vix haberent fidem: in quæis fuere Ruppellenfes, qui Condæo in suam urbem ingressum non semel

Sacrum fœdus à Pontifice confirmatum.

Fœdus ut ignominiosum aboleretur censent.

D enegarunt, quod metuerent, ne ille commoditate loci fretus rebus nouis animum adplicaret. Hi quod Regi notum esse cuperent se pacificatorium edictum curiose obseruare velle procurante Boissiereo, qui à Rege missus fuerat, sacrificulos in urbe missam celebrare permisit, ad quam audiendam pauci admodum ciues confluxerunt; quamuis ad eum proficisci volentibus nullum impedimentum daretur: sed tota ferme ciuitas religioni reformatæ nomen dedit. Condæo Angelicum fuerat à Rege concessum, ut eò se reciperet, sed ciues sacri fœderis vim timentes inter se fidem dederant, se neminẽ

Atias illi agente Condæo transactio inter ipsos facta, qua Mirembellus Broagium ad trimestre spacium Condæo tradebat: quo exacto tempore promittebat Condæus se illud bona fide restituturū eo in statu quo acceperat. & si post celebrata comitia bellum oriretur, liceret ei diutius retinere. Condæo in Broagium recepto magni bellorum rumores in circumuicinis regionibus excitati sunt, omnibus coniectantibus non ob aliam causam eum locum ab illo fuisse occupatū quā, ut belli sedes esset. hoc autem Condæi factum Rupellenses minimè probarunt; quia metuebant ne renouandis tumultibus portam aperiret. Prætor turris portus custodem ab officio remouit, quod ad Broagium profectus cum ipso Condæo fuisset, & alium in eius locum suffecit. Tum duobus ciuibus cum literis ad Condæum missis, ei significauit, satius sibi videri, ut ad tempus à visenda Rupella abstineret. Fuere de ea re variæ in vrbe opinioniones. Prætor, & è primarijs ciuibus aliquot in ea sententia persistebāt, multa incommoda euentura si Condæus in urbem reciperetur ostendentes. Tribuni militares, & ecclesiæ ministri contrarium sentiebāt: illi insignem iniuriam fieri cum magna ingratitudine coniunctam, si urbis portæ ipsi occluderentur, dicentes. Profugi, qui in vrbe erant, tribunorum, & ministrorum iudicium probabant enixè, & sollicitè procurantes, ut Condæus reciperetur. Ad eum etiam miserunt Angeliacum (eò enim se receperat relicto Broagij Montacuto, qui ibi præsideret) rogantes, ut aduentum suum in urbem non differret, maiorem ciuium partem ut veniat expetere. Prætor cum incolas fermè omnes à se dissentire perspiceret, ne peruicaciter, & imperiose nimis in eo negotio agere videretur, in proprias ædes tribunos, & ministros conuocat, quibus literas quas à Condæo acceperat ostendit. Ijs facile noscebatur ægerrimè ipsum tulisse, quod ingressus in urbem sibi fuisset denegatus: excusauit autem se Prætor, & eos qui suæ sententiæ adstipulabantur, de Condæo in urbem non recipiendo: id non factum, quod dissentientes ab illo essent, aut minus feruidi in religionis causa tuenda, quam ad extremum vsque spiritum profiteri, & retinere animus erat; sincero, & pio zelo id fecisse, ut proximarum ecclesiarum ruina vitaretur, quæ proculdubio impendebat, si tam subito post Broagium interceptum receptus fuisset. paulo post ciuium omnium conuentum habuit, ubi

Condæi literas ad se scriptas ostēdit, & suum ad illas respon- **A**
sum. Exquisitis ciuium sententijs inuenit maiorem populi
partem expetere, vt Condæus in vrbem reciperetur, & vt a-
liqui ad ipsum mitterentur, qui totius ciuitatis nomine ro-
garent, vt quoties luberet, veniret: ea tamen proposita con-
ditione, vt familiarem tantum comitatum secum adduceret.

Condæus accepto hoc populi decreto Rupellam profectus
Condæus est cum exiguo admodum comitatu. Tam subita autem, &
Rupellæ re- inexpectata fuit eius profectio, vt prius in vrbe visus sit, quā
cipitur. è Broagio discessisse nunciaretur. Multi tribuni cum eum ad
portum appulisse audierunt: ad nauem adcurrentes in vrbē **B**
deduxerunt. Prætor, & primarij ciues priusquam ad hospiti-
um suum veniret, obuiam illi profecti sunt, & quam aman-
ter, atque honorificè ipsum exceperunt. Postridie in ciuitatis
prætorio conuenientibus ciuibus orationem habuit, qua
eis primùm gratias egit, quòd se in protectorem libertatis, &
belli ducem elegissent in nouissimo tumultu ab illis absen-
tem, & in Germania profugum: deinde sua integritate de-

Condæi ex- monstrata grauiter de quibusdam ciuibus cōquestus est, qui
postulatio. authores fuerant, vt ab ingressu vrbis prohiberetur. id sibi
valde iniquum videri, & ingratum, cum omnes conatus, & **C**
consilia semper adhibuerit, vt Rupellensibus vniuersis pro-
desse posset, vel cum odio potentiorum, qui ad clauum reip.
sedent, denique eos orauit, vt declararent quænam causa eos
mouisset, vt malam opinionem de ipso conciperent. Non se
in vrbem venisse, vt quieti publicæ, aut priuilegiolorum liber-
tati vllum impedimentum adferret. magnam iniuriam sibi
factam æstimare, quòd ab adeunda vrbe prohibitus fuisset:
velle scire qui malæ opinionis de ipso conceptæ authores
fuerint. A propretore illi responsum est, primarios ciues qui
cum prætore præcipuum locum in moderanda vrbe habent, **D**
ipsum per literas orasse, vt suum ad eos aduentum ad tempus
differret, non quòd de sua beneuolentiâ, aut obedientia erga
ipsum aliquid esset diminutum, sed imminentis belli rumo-
res in eum modum scribendi occasionem dedisse, & aduer-
sarium calumnias, qui disseminabant è Rupella tanquam
ex æquo Troiano omnes calamitates, & miseras atque bella
ciuilia, quibus regnum miserè adflatum fuit per tot annorū
curriculum prodijisse. A reformatis, qui Pictauij, Niorti
Fontenæi, & in inferiori Pictonum regione habitant, rece-
pisse

- A** pisse literas, quibus significabant, si Condæus in urbem reciperetur, Pontificios occasionem arrepturos hostilia molienti, in Reformatorum ecclesias iam grauitèr infensos propter Broagium ab illo astuta pactione interceptum. orare itaque ipsum, ut siquam malam opinionem de ciuibz concepiisset, quòd ipsius in urbem aduentum differendum censuerint, deponeret, & eos in gratiam reciperet. Tum Condæus petijt, an literæ, quæ à prætorè ad se missæ fuerant consensu totius populi scriptæ fuissent, populus qui in eo conuentu aderat, statim clamauit se in scio omnia consulta & peracta fuisse. Plebem enim Rupellanam non modo facultates omnes, sed propriam vitam ipsi committere, in eiusque tutela securos conquirere. Tunc Condæus non parum se letari dixit, quòd de bona opinione, quam de ipsorum gratitudine, & beneuolentia conceperat, nō esset frustratus, idcirco iniuriam, quam ob denegatum in urbem ingressum præter spem, & meritum receperat, leuiorem sibi videri quòd ab vniuerso populo nō procederet, sed à tribus, quatuorve tantum, qui erga religionem, & patriam non bene adfecti videri poterant, quos numinis vindicta tempore suo esset inuentura. Ideo autem ad eos tunc venire peroptasse, ut de tribus potissimum cum ipsis *Condæus quibus de causis Rupellæ uenerit.* communi consilio deliberaret, de profectioe Alenconij in regiam aulam, de aduentu Reginæ in Aquitaniam, de nouo tumultu impendente ob pacificatorium edictum male obseruatum: paratas iam esse à Pontificijs copias, quæ tantum mandatum regium expectabant. id indicium decreti aduersus se belli falsum non videri. Quod ad primum attineret se semper censuisse ut communi consilio delegati aliquot ad Alenconium mitterentur, qui eum demisse orarent, ut ea curaret perficere, quæ tam feliciter inchoarat in fouendis, & tuendis Reformatorum ecclesijs, & procuranda ipsarum libertate, & quiete in comitiorum consensu. Pro secundo sibi consultißimum videri, ut Rupellenses aliquos graues viros ad Reginam mitterent, qui gratias illi agerent ob infinitos labores quos in dies perferebat ad ea stabilienda & confirmanda, quæ nondum benè colligata videbantur: pro singulari etiam desiderio, quod in conseruanda pace, & quiete totius regni procuranda ostendebat. Quantum ad tertium, decretum iam esse contra Reformatos à Pontificijs bellum sibi non ambigendum videri, quoniam eos magnos belli apparatus facere

constabat, tum in pedestribus, ac equestribus copiis cogedis, A
 tum foederibus intra, & extra regnum ineundis. Præterea Io-
 hannem Austriacum in Germania inferiori proregem desi-
 gnatum, & Pontificis legatum in aulam Regis venisse, & con-
 silia cum regiis communicasse. His de causis se Rupellam ve-
 nire voluisse, ut cum ciuibus deliberaret quam potissimū
 ratione pax, qua dei beneficio, & Regis indultu fruebantur,
 posset cum tranquillitate conscientiarum diutissimè con-
 seruari, eam propensissimam in ipsos voluntatem ingratis-
 simè contemptam fuisse, se tamen omnem iniuriā illis con-
 donare. Monent etiam eos ut crastina die ad se prætor, decu- B
 riones, tribuni, ministri, & regij officarij venirent, velle illis
 aliquam in urbem coniurationem detegere. Cum illi vene-
 runt: responsum ad hesternas Condæ querelas de scripto
 dederunt, quo suppliciter petebant, ut quod imprudenter ab
 ipsis actum erat pro sua benignitate, & prudentia excusaret,
 promittebantque, quod in posterum humanissimè, ac bene-
 uolentissimè ab omnibus pro suæ dignitatis ratione excipe-
 retur, pateretque illi quando cūque vellet in urbem ingres-
 sus. Ille cum gratias eis egisset protulit in medium commo-
 nefactiones, quæ ex Regis aula, & alijs quibusdam locis ei al- C
 latae fuerant, quibus multi ciues initæ cum pontificijs hosti-
 bus conspirationis insimulabantur, quibus se urbem in po-
 testatem tradituros promiserant. Qui accusati erant pro sua
 purgatione & defensione multos fautores habebant, qui
 constanter adseuerabant illis fieri iniuriā, perspectam eo-
 rum esse probitatem, & fidem: quidam etiam è magistratibus
 dicebāt, eiusmodi delationum nullam rationem habendam,
 dolos & fraudes consuetas hostium esse, qui canes ex ouilis
 custodia expellere nitebantur, ut ouium gregem facilius de-
 popularentur. Postridie in prætorio conuentus ciuium fa- D
 ctus, in quo frequens populi turba adfuit: in cuius præsen-
 tia prætor, & qui coniurationis erant accusati de iniuria sibi
 facta grauiter conquesti sunt, antea actam vitam commemo-
 rantes, diras omnes imprecati si quid quod in patriæ pernī-
 ciem spectaret cogitassent. postea accusatorem sibi nominari
 postularunt, & causam legitimè coram iudicibus agi. Con-
 dæus dixit, se nolle accusatorem nominare nec vllius ciuis
 innocentiam in dubium vocare, sed quo amore ciuitatem
 prosequeretur, & eam in suo statu conseruatam cupiebat,
 non

- A** non potuisse ea, de quibus admonitus fuerat celare, quia de omnium ciuium salute agebatur. Suspecti criminis ciues in vrbe manere, & nullo modo pedem extra portam efferre iussi sunt. Delectus iudex, qui causam eorum cognosceret. Rogatus Condæus vt aliquem de iudicibus nominaret: tribunal Parcollam nominauit. Accersitus ille & palam declarare iussus quæ de proditiōe vrbis audiuiſſet: negauit se id facturum, nisi legitimi iudices constituerentur, qui de causa cognoscerent. Accusati petebant, vt aliquis accusatorem se constitueret, sed nemo est inuentus, qui hoc munus
- B** in se suscipere voluerit. Designatis iudicibus causa ea pertractata est, & sententia absolutionis in omnes, qui delati fuerant lata, vocæque præconis palam in cunctis regionibus vrbis enunciata. Postea Condæus ciues in vnum conuocandos curauit, & inter se reconciliatos dextras in signum amicitie iungere. Facta inter ciues reconciliatione, prætorum, & duodecim ex primarijs ciuibz in cubiculum suum vocauit, & cum illis tribunos, & ministros: quibus declarauit, certos de futuro bello rumores adferri, & pontificios magnos apparatus ad illud gerendum facere:
- C** Deum in testem aduocabat, culpam illius belli in se nullo pacto residere. orabat etiam, vt concordēs, & vnanimes essent, quo commodius rebus omnibus necessarijs pro defensione & securitate vrbis prouidere possent. Ciues gratias ingentes illi egerunt de salutari suo consilio, ac propensa in ipsos voluntate, polliciti eius officiorum in ciuitatem nunquam memoriam deposituros: in ijs autem, quæ ad conseruationem reformatæ religionis, immunitates vrbis, & totius regni libertatem spectarent, nullis sumptibus esse paruros. Ita Condæus cum Rupellensibus
- D** reconciliatus est, quem quod suspicarentur magis belli quàm pacis studiosum esse, & noua discordiarum consilia coquere intra mœnia ciuitatis recipere diu detrectarant: quippe tam diras calamitates in prioribus tumultibus pertrulerant, vt earum recordatione ad solum nomen belli perhorrescerent. Paulo ante in Nauarregio recipiendo non minus difficiles se præbuerant. Non enim prius permittere voluerunt vt in vrbem ingrederetur, quàm promississet ipsorum priuilegia se confirmaturum, & nihil diminuturum de immunitatibus vrbis, & supra quinquaginta

equites secum nō adducturum. adeo timidè autem & cautè A
 in eo intra urbem recipiendo agebant quòd multos nobiles
 pontificiæ religionis in suo comitatu habere cognoscerent,
 quibus fidere non poterant. Interea magni bellorum tumultus
 ubique audiebantur, & dissidentium in religione animi:
 quos edicto pacificatorio conciliari posse spes fuerat magis
 exasperati erant, quàm cum bellum gerebatur. Harum turba-
 rum causa erat edicti regij non sincera observatio ubique, &
 in multis locis aperta violatio, de qua conquerebantur Re-
 formati, qui dicebant illud edictum in communem rotius re-
 gni vtilitatem conceptum, & publicatum, atque regia autho- B
 ritate in omnibus supremis Curijs confirmatum abrogari nō
 posse, nisi contra omne ius diuinum, naturale, & gētium, quæ
 volunt, & sanciant, ut in fide data, & promissis hominum, &
 maximè principum illustrium omnes transactiones confir-
 mentur. Pontificij dicebant, pacem retineri non posse, nec in
 longum tempus durare, quòd per vim à voluntate Regis ex-
 torta fuisset, & contra officium, ac iudicium conscientiæ sta-
 bilita. Hi quòd Reformatis liberum suæ religionis exercitiū
 inuiderent, & neminem suæ ipsorum doctrinæ, & religioni
 aduersantem pati possent, fœdera, & societates inibant, & C
 viros ad comitia delegatos subornabant, ut sanctionem fieri
 procurarent, qua vnus catholicæ Romanæ religionis exerci-
 tium stabiliretur damnata omni doctrina, quæ illi aduersaretur:
 magnos etiam belli apparatus faciebant etsi non palam,
 nec apertè, non ita tamen occultè, ut certi rumores ad aduer-
 sarios non peruenirent. De his pontificiorum peruersis con-
 silijs duo principes, qui superius bellum pro Reformatis ad-
 ministrabant, & qui pacem à Rege extorsisse à tumultuosis di-
 cebantur, Casimirus Palatinus, & Condæus apud Regem
 Legatio ad Regem. missis legationibus cōquesti sunt. Qui pro Casimiro loquu- D
 Casimiri le- tus est, in sua oratione quinque præcipuè complexus fertur:
 gatus quid dixerit. primum, quòd cum trimestre spacium à publicata pace elap-
 sum esset: tamen publicum reformatæ religionis exercitiū
 non fuerit in omnibus regni ciuitatibus receptum. in quibus
 admissum fuit, talis metus concionatoribus, & auditoribus
 iniectus, ut ad conciones reuerti non auderent. Lugduni, &
 Gyani scloppetos in ipsum, quòd ex Casimiri familia di-
 gnosceretur, proteruè displosos fuisse. Franciscopoli in Nor-
 mandia omnibus reformatam religionem profitentibus, qui
 à semesiri

A à semestri spacio in urbem habitandi causa venerant gubernatorem prohibuisse ne publicis congressibus ecclesiasticis interessent, quinquaginta librarum francicarum multa indicta primo delinquenti, secundo poena fustigij, tertio suspendij. Ad Fanum laudi reformatos pro exercitio suæ religionis ad suburbia fuisse reiectos; inde postea expulsos & ad quatuor passuum millia secedere coactos. eodẽ modo cum Metensibus, & multis alijs ciuitatibus actum. prope Lutetiam circiter quatuor passuum millibus rusticos aliquot pecunia multatos quod in pago Noysio concioni Reformatorum interfuissent. In quamplurimis urbibus concionatores Pontificiorum seditiosos reperiri, qui aperte Reformatis minitabantur, & pacem nouissimè conciliatam inuidiosè traducebant, valde dissimilem eam esse dicentes ijs quæ prius factæ fuerant. Præterea edicto à regijs officiarijs qui iuri dicundo præsumt nouas quotidie interpretationes, exceptiones, & restrictiones dari. In Normandia Reformatos cogi peregrinos à suis congressibus ecclesiasticis excludere, quales sunt Angli, quibus tamen liberum commercium concedebatur. Secundum, quod iurisdictiones quæ ex Reformatis, & pontificijs iudicibus fieri debebant, nondum erant constitutæ sicuti edicto fuerat cautum. Tertium, quod primarię vrbes stationes militum diu, noctuque in portis haberent, & in illis Pontificij, vt belli tempore arma gestarent, vrbes, in quibus estæ qualis, aut maior numerus Reformatorum, quàm Pontificiorum præsidium militare tanquam propinquo hoste à quo periculum imminet continuè alerent. In portibus Normandiæ qui Reformatæ religionis esse dignoscebantur, ita retinebantur, vt nauigandi potestas ipsis negaretur, nisi dato sponfore, quod breui reuersuri essent. quod multi nobiles pontificiæ religionis palam iactarent melle facta, & Calimiro regni finibus excedente bellum renouandum fore: quod credibile videbatur, cum in multis locis bellici apparatus fierent. Quartum, quod quæ Condæo promissa fuerant nequaquam obseruarentur: neque pro sua securitate, neque pro expensis solutis, aut militum stipendijs. Id præcipuè euenire, quod Rex noua fœdera à Pontificijs inita approbaret, & non seuerè in eos animaduerneret, qui malo exemplo pacis edictum violabant. quod in primarijs ciuitatibus non statim fuerit ab eius confirmatione publicatum, quod magistratus

omnes de eo inuiolatè, & integrè obseruando non iurarint, A
vtriusque religionis nobiles, & ciuitatum incolæ ad præstā-
dum simile iuramentum Regis nomine conuocati non fue-
runt. Quintum quòd plurimi & præcipui ex secretiori Regis
consilio, & senatorum in supremis Curijs, ac præfectorum
prouinciarum eam regionum subditorum conciliationem
minus probarent. Qui pro Condæo loquutus est petijt, vt
Condæi le- redditus annui Cognaci, & Angeliaci ipsi Condæo autorita-
gatus quid re regia ad vtendum fruendum traderentur, donec ea pecunia
dixerit. persolueretur, quæ in tractanda pace ipsi promissa fuerat,
quingentorum millium francicarum librarum summam æ-
quans. Item qui edicto pacificatorio parere recusarent: a- B
cerbissimis pœnis subijcerentur. locus habendæ concioni i-
doneus reformatis Metensibus traderetur, vt pacis beneficio
commodissimè vti possent. præterea vt iurisdictio iudicum
vtriusque religionis in Galtineto, & ad oram Ligeris flumi-
nis assignaretur. Regis responsum ad Condæi postulata fuit.
Regis re- se iubere, ac statuere velle, vt ducenta millia librarum illi sol-
sponsum. uerentur, redditibus Cognacensibus ipse frueretur: Angeliaci
suam habitationem haberet: Metensibus ciuibus de loco
idoneo pro exercitio reformatæ religionis abundè satisfac-
tum, ita, vt de nulla re amplius conquerantur. Quòd refor- C
matae religionis exercitium in multis locis regni sui non ad-
mittatur: id non suo iussu, nec indulgentia fieri, pontificiam
religionem non magis receptam pluribus in locis in quibus
reformati potentiores erant, nec viros ecclesiasticos in posses-
sionem bonorum restitutos: vtrinque quærelas ad eum ve-
nire, se omnibus quam commodissimè, & quamocissimè
poterit prouidendum, & omnia in æquiore statu adductu-
rum. Rumores belli interea vbique in regno inualescebant
non sine apparente causa. Pontificij enim in apparatibus fa-
ciendis maximè occupati cernebantur. Hi vt iustum titulum
belli gerendi haberent, comitia quam primum celebranda
curauerunt. nam eorum autoritas ad abrogandum edictum
plurimum momenti habitura videbatur. Indicta itaque sunt D
Blesium ad Ligerim regijs codicillis per vniuersum regnum
Comitia- publicatis. quorum conuocandorum duæ præcipuæ causæ
quibus de assignabantur. prima vt omnes regij subditi indignè afflicti
causis co- suas querelas Regi proponerent, quo promptissimum reme-
dicta. dium ipsorū malis adhiberetur, & omnes intellerēt, quam
egregia,

A egregia, & sincera Regis voluntas esset in restaurandis & stabilendis rebus omnibus in pristinum statum, unde hominum malitia, & temporum iniuria exciderant. Secunda, ut regni ordines cum regis consiliariis deliberarent, quam ratione regia autoritas conseruari posset, & antecessorum regum, Regisque presentis æs alienum ad læuamentum, & solatium subditorum dissolui. Statim autem post comitiorum indicationem in singulis regni prouincijs conuentus habiti sunt, in quibus delecti fuere, qui magis idonei videbatur ad querelas populi Regi proponendas. De ijs conuentibus Reformati, & Pontificij confederati conquerebantur, conuenticula, & non legitimos conuentus appellantes quod ad eos omnes sine discrimine non fuissent vocati, sicuti comitiorum indictio deberet fieri declarabat. Cum delegati prouinciarum ad comitia venire, de religionis negotio prius tractauerunt. Multi verò censuere pacificatorium edictum integrè obseruandum, & perpetuò retinendum: alij dixerè interpellandū Regem esse, ut vnā tantū religionis formā per vniuersum regnum seruandā iuberet, nempe catholicā, apostolicā, Romanā, ita tamen, ut qui ab ea abhorrerent aliter, quam vi armorum ad eam amplexandā cogerentur. maior tamen pars postea hanc sententiā tulit, ut sola Romana religio quocūque periculo per omnes regni prouincias retineretur. Fuit etiam statutum, ut si aliquis comitiorum decretis refragari vellet, & contra communem omnium sententiā protestari: ordines Regem orarent, ut nulla oppositionis, aut protestationis ratione habita ulterius procederet. Antequam autem ordines aliquid auspicarentur, indicta sunt ieiunia & amburbæ supplicationes ad Deum orandum, ut illi cōuentui prosperum successum largiretur, & omnium consilia, & deliberationes moderaretur. Quoniam verò, Nauarræus, Condæus, Danuilla, & aliquot alij reguli ad comitia nō venerant: decretum est, ut Regis nomine, ac trium ordinum legati ad eos mitterentur. Postea Rex sigillatim ad se vocauit, eos, qui delegati erant propter causam sacri fœderis, quod spectabat ad conseruandā, & tuendā factā testā pontificiam religionem, & radicitus euellendā ex omnibus Regis ditionibus eam, quam Reformati profitebantur: & plebem ab iniurijs defendendā, cuius fœderis formulā Rex ipse ad præfectos prouinciarum misit, ut nobilibus, & ciui-

tatibus sigillis suis approbandam proponerent, quod multi A
 non inuiti fecerunt: alij tergiuersantes sibi deliberandum
 esse dixerunt: alij planè recusarunt. paucis post diebus Rex
 cum principibus, sceptri officarijs in aulam in qua trium
Oratores
trium ordi-
num.
 buerunt, quibus quid factu optimum sibi videretur pro re-
 gia dignitate tuenda, pace ecclesiæ, & quiete ac tranquillita-
 te plebis cōseruanda declararunt. Qui pro nobilibus loquu-
 tus est multis rationibus Regem est hortatus, vt ad instauran-
 dam & protegendam in vniuerso suo regno religionem ca-
 tholicam, apostolicam, Romanam diligenter animum aduer- B
 teret. Ipse maiores nō aliam religionem coluisse, nec aliam
 doctrinam professos fuisse, eam totis viribus defendisse, ac
 promouisse, in ea ipsum educatum, institutum, inauguratum,
 & coronatum fuisse. & cum panagium iureiurandum à sub-
 ditis ipsi præstitutum est: solemni iuramento promississe se
 in ea perseverare velle, & procurare, vt pura, & inuoluta in
 vniuerso regno obseruaretur. vicinos Anglos in suis comi-
 tijs sapienter prouidisse ne dissidentes, & contrarię religio-
 nes in regno suo retinerentur, quod grauiā pericula ex dissi-
 dijs in religione oriri perspicerent. Idem à principibus Ger- C
 manix factum, qui suos subditos eandem doctrinæ confes-
 sionem sequi voluere, legemque illis dedere, vt suo exemplo
 sequerentur, quod sanctum, & religiosum iudicabant. has
 causas ipsos permouisse vt cum oraret reformata (quam vo-
 cant) religionis exercitium interdicere, ita tamen, vt quilibet
 domi suæ tutus, & securus maneat, & nemo quiete viuenti,
 nullōsque tumultus scienti molestiam exhibeat: omnium
 præteritarum offensarum *diuinita* sanciantur, & qui eam reli-
 gionem abolito publico exercitio mordicus retinere volue-
 rint: ipsi cum familijs & bonis in Pontificiorum propin- D
 quorum tutela conquiescant. Petijt etiam vt disciplina mili-
 taris instauraretur: hoc ad plebis leuamen, nobilitatis laudē,
 & totius regni decus pertinere, sine illa nihil gloriosum, nec
 laudabile in bello geri. Illam autem commodissimè institui,
 & retineri posse, si militibus stata stipendia soluantur, & ne-
 mo ad militaria munera admittatur, nisi cuius meritum, vir-
 tus, & experientia longa in armis dignum honoribus reddi-
 derint. Petijt insuper vt veteres leges, & instituta Francici
 regni diligenter obseruarentur. Aliorum ordinum delegati
 in hoc

- A in hoc cum nobilibus consensere, vt sola catholica Romana religio retineretur, abdicata omni alia forma, quæ apud pri-
 scos ignorata fuit. Respondit Rex delegatorum declarationē
 sibi esse quam gratissimam, & feruentissimum affectum ad
 honorem Dei, & ecclesiæ, diuinique cultus tuendum vehe-
 mentissimè placere. Propositum tunc ordinibus, vt diligen-
 ter exquirerent, quam ratione æs alienum Regis ab ipso, &
 antecessoribus contractum, quod centum millionum summā
 excedebat, dissolui posset, & in posterum ipsius ærario pro-
 uideri. Ad subueniendum ærarij difficultatibus hoc quorum
 B dam fuit inuentum, vt omnibus vectigalibus abolitis substi-
 dium pecuniarum quindecim millionū francicarum librarū
 Regi concederetur, quæ à singulis familijs exigenterent. Hu-
 ius autem subsidij maior summa quinquaginta libras non
 excederet, minor summa duodecim terunciorum esset. Huius
 autem inuentores varijs rationibus demonstrabant ad maxi-
 mum populi commodum cessurum. Officiarijs Regijs pro-
 batum fuit, & Cancellarius iubere Rege ab ordinibus postu-
 lauit, vt hanc rationem exigendæ à populo pecuniæ suis cal-
 culis approbarent. duos præterea milliones præsentis pecu-
 niæ ad sumptus futuri belli faciendos suppeditarent. Dele-
 gati responderunt se à prouincijs, à quibus missi fuerant, nul-
 lum habere de ea re mandatum, idcirco nullam sibi esse ali-
 quid offerendi potestatem. Tum Alenconius ad eos venit
 ducibus Cenomanio, & Niuernensi comitatus ac Moruille-
 rio consiliario, per quem postulauit, vt illi duo milliones in
 bellicos sumptus Regi concederentur præter quindecim il-
 los, qui singulis focis imponi debebant. Alenconius simile
 cum Rege responsum tulit. Indicta propter duos fines fuisse
 comitia, vt Rex populi querelas audiret, & vt communi cō-
 silio dispiceretur, qua ratione æs alienum Regis dissolui pos-
 set. de illis duobus millionibus nullam in indictione factam
 mentionem: mandata prætergredi non licere. Delegati Pari-
 siensium conabantur alijs persuadere, vt hac in parte Regi
 gratificarentur, veriti ne pro bellicis impensis publici annui
 ciuitatis redditus, qui trium millionum centum triginta duo-
 rum millium librarum æquant, caperentur. Postea insulæ
 Franciæ delegati cum Parisiensibus de scripto sententiam de
 negotio religionis protulerunt: qua cēsebant nullum aliud
 religionis exercitium in regno tolerandum præterquam ca-

*Ordinum
delegati in
quæ re cons
uenerint.*

*Debita res
gia.*

*Debita res
gia qua ra-
tione dissol-
ui possint.*

*Mirembelli
delegati c-
ratio.*

*Parisiensium
prolocutio.*

tholicæ, apostolicæ, Romanæ, rogabantque communi om-
nium decreto statueretur, ut ministri omnes regni finibus ex-
cederent. Cum Mirembellus primus ex delegatis Pictorum,
& Xanctonum hoc rescivit: palam demonstraui regios codi-
cillos indictionis comitiorum nullam facere de religionis ne-
gotio mentionem: ideo Regis voluntati, & literis indictionis
derogari, cum religionis negotium in disquisitionem ad-
fertur. Huius consilij authores in memoriam reuocarent acer-
bissimas calamitates, quas in ciuilibus bellis Francicum
regnum pertulerat, & diligenter cauere, ne nouis tumulti-
bus faces accenderent. si persistere in suo proposito vellent,
se de nullitate protestari: atque postulare, ut ea causa ad Re-
gem referatur, ad quem solum illius cognitio pertinebat,
quandoquidem ipsius fides ad edictum tuendum, & defen-
dendum adstricta erat. Mirembello responsum, comitia Re-
gis iussu indicta fuisse ad instaurandum regni splendorem,
& ad deliberandum qua nam ratione firma, atque per-
petua pace omnes Regis subditi frui possent, quod num-
quam fieri posse à plerisque animaduersum quamdiu duæ
diuersæ religiones in regno permetterentur. ob id necessa-
rium æstimari, ut ordinum delegati de eo negotio pruden-
ter consultent adhibita omni animi lenitate, & pacis studio,
& ex duabus religionibus illa è regni finibus exterminetur
quam non retinendam iudicauerint. Quod ad pacifica-
torium edictum attineret, nullius auctoritatis illud esse de-
bere, quoniam absque populi consensu & ordinum decre-
to conceptum & publicatum fuerat. præterea à Rege mino-
re factum summa necessitate, ad illud sancendum eum coac-
tum, & qui in sua inauguratione solenni iuramento pro-
miserat Pontificiam, & auitam religionem se totis viribus
defensurum. Cum verò Mirembellus peculiare de ea reman-
datum non haberet: eius protestatio vana, & irrita iudi-
cata est. Cum maior autem pars conuentus in abrogatione
edicti consensisset: Parisienses ad Regem, atque ordinum
delegatos orationem habuere, qua declararunt se eiusdem
cum alijs opinionis esse, ut vna sola religio in regno Gal-
liæ retineretur, sed se valde metuere ne qui Reformatam
religionem profitebantur, tam peruiaces animos gere-
rent, ut nec verborum lenitate allici, nec vi armorum co-
gi possent ad amplexandam pontificiam doctrinam. Plu-
rimos

- Arimos enim nobiles, qui Reformatorum dogma ample-
xati sunt, non velle suæ religionis exercitium amittere,
nec solum vertere, quod in regno amplas possessiones à
maioribus relictas haberent: eos autem ab auitis bonis
expellere arduum nimis, ac periculosum videri, cum mul-
tis, & cruentis prælijs victi manus dare noluerint: à su-
scepta iurata doctrinæ defensione, nec minis, nec peri-
culorum denunciatione deterreri, quòd pro illa dira pa-
ti gloriosum semper putarint: Si bellum denuo renoue-
tur, nullos labores, nec pericula ad suæ causæ defensio-
nem subterfugituros: quatuor magnas prouincias (non
annumeratis multis vrbibus & arcibus, quas Reformati
eorumque socij varijs in locis occupant) à Rege prorsus
defecturas, vnde necesse erit, eas prouincias immo-
dicis tributis onerare, quæ in fide & officio manebunt.
Ecclesiastici, quorum causa præcipuè agitur, non offe-
runt Regi nisi præces, qui etiam conqueruntur de alie-
natione dominij sui. Nobiles qui præcipui illius causæ
defensores videri volunt, corpora tantum offerunt, gra-
uiter etiam conquerentes, quòd multos è suis in ciuili-
bus bellis amiserint. Plebis querelæ vbique personant de
immanibus direptionibus, depopulationibus, vastatio-
nibus, quibus ad summam rerum omnium inopiam ferè
redacta est. His querelis omnes ordines pacem exposce-
re, & bellum horrere videntur, nihilominus vnā tan-
tū religionem in regno retinendam esse dicunt. Ex-
teri principes qui ad bellum nos sollicitant, & ortho-
doxam doctrinam armis propugnandam dicunt, nullas sup-
petias ferre volunt. Magna pecuniæ summa ad id bellum
opus esse nemo ambigit, quoniam ij contra quos placet
decerni ad ducentas vrbes iam in potestate habent, easque
adeo munitas, vt quælibet per mensis spacium obsidionem
ferre possit. Quòd si omnibus stat sententia, vt vna omnino
religionis forma per vniuersum regnum retineatur, prudenti
& maturo consilio deliberandum, quam ratione id effici
possit, vt non sit necesse in belli discrimen regnum deuo-
care, ne similes calamitates pati cogatur, quas per tot
annorum curriculum perpessum est. Non ignorare dissi-
dentes in religione opiniones non posse sine graui peri-
culo, & dispendio publicæ quietis tolerari: sed quia ex

*Ecclesiastici
quid regi of-
ferant.*

*Quid nobi-
les.*

*Plebis ques-
relæ.*

*Decretum
ordinum.*

*Legati ab
Cōdæo quid
retulerint.*

malis minimum eligendum esse ratio ostendit, conduci-
blius videri obseruando edictum religionis inter se aduer-
santes retinere, quàm in illo abrogando grauiâ incommoda
accersere. Hæc quamuis grauius & tempestiuè dicta ordinū
delegatos præiudicio occupatos nequaquam permouere, vt
salubre consilium arriperent, quin abrogato edicto instau-
rationem vnius religionis catholicæ, apostolicæ, Romanæ
per vniuersum regnum decreuerunt. Cum ecclesiastici, & no-
biles hoc antea statuisent, tertius ordo superantibus prouin-
ciarum suffragijs aliorum sententiæ subscripsit, atque decre-
uit, supplicandum esse Regi, vt omnes suos subditos ad ca-
tholicam Romanam ecclesiam tanquam ad vnum ouile gre-
gem dispersum reduceret, Reformatæ religionis omni exer-
cicio tum publicè tum priuatim abolito, ministris, diaconis,
superintendentibus regni finibus excedere iussis intra tem-
pus, quod ipsis à Rege præscriberetur. alijs eam religionem
proficientibus, qui nullum munus in administranda ecclesia
haberent, in Regis tutelam receptis, interea dum ad Romanā
ecclesiam redirent. Hæc suffragijs septem prouinciarum, In-
sulæ Franciæ, Normandiæ, Campaniæ, Occitaniæ, Aurelia-
nensis, Picardiæ, & Phocensi statuta sunt. Delegati prouin-
ciarum Burgundiæ, Britannię, Campaniæ, Aquitaniæ, Lug-
dunensis, & Delphinatus censuebant latæ sententiæ addendū
esse, vt vnio religionis pacatè, & sine vi armorum fieret: sed
maior numerus pro ratione suffragiorum præualuit. Interie-
cto duorum mensium spacio qui ad Nauarræum, & Con-
dæum missi fuerant ad comitia rediere. Qui à Condæo ve-
nere retulerunt, illum noluisse ipsos audire, nec ordinum li-
teras recipere, quòd comitia non legitima esse diceret: quo-
niam vetus forma in illis cogendis nō fuit obseruata, sed de-
legati, qui ad ea missi sunt fraudulēter delecti à Francisci sce-
ptri hostibus, qui abrogationem edicti ad exitium regni pro-
curarunt: Si comitia ritè & legitimè fuissent ordinata: ad
ea ipse venisset pro sincero, & pio affectu, quo erga Regem,
& patriam præditus est. Regem se nosse natura lenem, pro-
missorum tenacem, cupidum pacis, & populi sui amantem,
sed exploratum habere, summissos quosdam fuisse ad con-
uentus prouinciarum ab ijs, qui turbas, & tumultus amant,
qui delectum eorum qui ad comitia delegandi erant astutè
procurarent: quosdam etiam ex delegatis ita fidem prosti-
tuisse,

- A** tuisse, vt mandata sibi à prouincijs tradita in magnatum gratiam mutauerint. Si quid Regis nomine cum illo agendum haberent se libenter eos auditurum: ab ijs autem, qui Blesij ad conuentus agendos congregati erant, se nihil accipere velle. Qui ad Nauarræum missi fuerant, retulere, se honorificè, & perhumanè ab ipso receptos, & benignè auditos fuisse.
- Tria autem illi Regis & ordinum nomine proposuere. Primū *Legati qui ab Nauarra ræo redierunt quid responsum tulerint.* vt comitijs interesset, secundum, vt Regi, & regni ordinibus in reducendis regijs subditis ad vnam religionem catholicā, & Romanam adiutor esset. Tertium, vt diligenter considerarent, quæ calamitates vniuerso regno essent obuentionæ, si se alienum ab ordinum sententiā ostenderet: eos enim decreuisse facultates omnes, & vitam denique ipsam profundere, vt ad vnam religionem Romanam omnes regios subditos reducerent, damnata & regno expulsa omni doctrina, quæ illi aduersatur. Nauarræus ea denunciatione nihil exacerbat, hoc responsum dedit. Se probare ordinum egregiam voluntatē, quod expeterent, & procurarent finem imponere diutinis regni calamitatibus: sibi nihil optatius esse, quàm, vt regnum Franciæ opima pace, & secura quiete frui posset. Quod verò
- C** Regi persuaserint non patiendum in regno alterius religionis quàm Romanæ exercitium, vereri ne hoc non pacem, & quietem, sed turbas & bellum allaturum sit. Sibi videri hoc consilium maximis tumultibus causam præbiturum, qui sedari facilè non possent etiam si vtraque pars pacem expeteret, ob id maximè, quòd omnibus transactionibus inter Regem & subditos in posterum via præcludatur, quum in dubium vocatur, an Rex antea actis conuentionibus potuit suam fidem obligare pro suæ autoritatis, & totius regni conseruatione. Qui à Danuilla venere hoc responsum retulere: Ipsum *Danuilla responsum.*
- D** optimè esse affectum erga Romanam religionem, eius conseruationem & incrementum exoptare, & pro eius defensione vitam profundere cum opus fuerit, non recusare: in abrogando tamen pacificatorio edicto cum ordinum delegatis non consentire, quòd id nihil ad promouendam pontificiam doctrinam prodesse possit, quoniam Reformati multorum edictorum priuilegijs, & autoritate nitantur, quæ proprio sanguine obsignarunt. rem idcirco perdifficilem, & maximè arduam videri illos persuaderi, aut cogi posse, vt id deserant, quod tam carè ab ipsis coemptum est. Nō dubitandum ipsos

conatus omnes consilia, & vires collaturos, vt regium edictū A
 factum tectum conseruetur, cum nihil charius habeant con-
 scientiarum libertate. quòd verò in medium à quibusdam
 adfertur duas diuersas religiones in vno, atque eodem regno
 retineri non posse: nulla cum ratione id adseuerari, quoniā
 in Occitania contrarium ostenditur. ibi enim dissentientium
 in religione hominum summus visitur consensus: & nuper
 in conuentu nationali Pontificij, & Reformati solenni iura-
 mento sese mutuo adstrinxerūt, ipso Danuilla, & Ioyosa prę-
 sentibus ad edictum regium inuiolatè seruandum, non bonis
 non vitæ se parcituros, vt illius temeratores quocūque e- B
 uentu, & periculo compescant, quos publicæ quietis hostes,
 & nouorum tumultuum authores iudicant. Se de eo negotio
 cum viris exacti iudicij & inueteratæ prudentiæ consultasse,
 qui eiusdem sunt opinionis. Orare itaque ordinum delega-
 tos, vt suum responsum boni consulant, & ipsi insensū nō sint
 quòd ab illis dissentiat, maturòque iudicio euentum tam pe-
 riculosę deliberationis apud se perpendant. Paucis interie-
 ctis diebus redijt à Nauarræo Mompenferius, qui in publi-
 co confesso auditus declarauit, Nauarræum ad pacem maxi-
 mē inclinare, quam tamen retineri non posse aiebat nisi edi- C
 ctum obseruaretur: se Nauarręo in pace retinenda tribus po-
 tissimum de causis assentiri: prima quòd in bello futuro ma-
 xima iactura militarium virorum, & qui regiæ maiestati ad-
 dictissimi sunt proculdubio fieret. Secunda quòd apud Regē
 magnus esset rerum ad bellum gerendum necessariorum de-
 fectus. Tertia quòd Reformati, & alij edicti propugnatores
 magnas vires intra, & extra regnum habeant, & multos qui i-
 psoz causæ patrocinaturi sint. Hoc etiam Regem à mouē-
 do bello dehortari debere, quòd ipse ære alieno penē obru-
 tus sit, à quo vt se liberet, nullam facultatem dari si arma re- D
 sumenda sunt. In sedecim annis catholicæ religionis hostes
 multis prælijs victos fuisse, has autem victorias non tantum
 vtilitatis attulisse ad sopiendos tumultus, & synceram reli-
 gionem promouendam, quantum attulisset bona reformatio
 in omnibus regni ordinibus: ideo necessarium sibi videri, vt
 ordinum delegati Regi supplicarent, vt ad pacem animum
 aduerteret (quamuis antea contrarium statutum sit) & interea
 dum legitimum concilium cogi possit, Reformatorum reli-
 gĩa toleraretur. Tertius ordo Mompenferio gratias egit pro
 sua

*Mompen-
 ferius quid
 in confesso
 dixerit.*

- A** sua industria, labore, & propenso animo erga commune regni commodum, coactisque suffragijs statuit supplicem libellum Regi offerendum, quo rogaretur, vt suos subditos in religione catholica, apostolica, Romana coniungeret, & vni-
B ret quocunque modo sancto, & legitimo, sed sine bello. Supplex itaque libellus ab ordinum delegatis Regi oblatus, quo petebant, vt suos subditos in religione catholica, Romana vniret vitato prorsus bello. In illa religione se omnes viuere & mori decreuisse, agnoscētes eam solam veram esse, & à Deo profectam. Hanc ordinum sententiam Regina, Mompense-
C rius, Cossa, Bironius, Moruillereus, Belieureus probarunt, cui Rex etiam assensit, sed alij consiliarij bellum mouendum esse censuerunt. Bironius ad Nauarræum missus, vt ab eo impetraret de rigore edicti, (quo melius pax coalescere posset) aliquid remitti. Nauarræi & Condæi delegati cum in ordinum confesso audiendi essent, à delegatis ecclesiarum ne confessum audirent prohibiti sunt, qui dicebant nihil illos cum ordinibus agere debere, ne viderentur comitia tanquam legitima approbare. Ne frustra autem venisse dicerentur supplicem libellum Regi obtulerunt: quo ostendebant
D comitia Aurelianensia sub Carolo nono habita liberum religionis reformatæ exercitium permisisse omnibus qui profiteri eam volebant sine vlllo discrimine. Quandiu id fuit obseruatum, nullum fuisse inter Regis subditos dissidium: simul ac huic decreto refragatū fuit, ciuile bellum accensum, quod per vniuersas regni prouincias peruagatum, diris claudibus omnes adflixit siue pontificiam, siue reformatam religionem profiterentur. Iniquum omnibus videri posse ordines in illis conuentibus restinctum Regis prudentia incendium, accendere velle: controuersias in religione non in comitijs, sed in concilio generali, aut nationali tractari debere, sicuti semper fuit in ecclesia obseruatū, & nouissimo edicto pacificatorio cautum. Rem indignā esse, si regiū edictū, quod fuit causa indicendorum comitiorum, ab illis abrogaretur. Si de rebus in religione controuersis in comitijs decidere fas est: eos, qui reformatā religionē amplexati sunt debere audiri, priusquā condemnentur. Hanc iudicādi rationē, quæ inauditos condemnat, esse cōtra autoritatē comitiorū, quæ Aurelijs, & Pontosix celebrata fuere, & regionum edictorū ac suppremarum Curiarū, quæ pacificatoria edicta publicarunt, &

*Mompense-
rio quinam
astipulati
sint, qui cō-
tra senserūt.*

*Nauarræi
& Condæi
legati non
auditi in cō-
fesso, libellū
supplicē tra-
dunt.*

confirmarunt, contra publicā regni quietē, dignitatē regiam, A
& ſceptri Frācici maiestatē. Ediſti abrogationē ciuilia bella
attrahere, tributa, & veſtigalia, exactionēſq; innumeras ad-
ferre, commercium omne interdicere, & agriculturæ opera
interturbare: omnia denique in confuſionem adducere cui-
uis manifeſtum: ideo ſuppliciter ſe Regem orare, vt ediſtum
integrē, & inuiolatē ſeruari curet, & ordinum delegatis in-
hibeat quicquam in religionis negotio ſtatuerē. Interea Re-
formatorum omnium nomine, atque Pontificiorum confœ-
deratorum Regi offerebant facultates omnes, & vitam cuiuſ-
que pro autoritate regia, & regni tranquillitate tuenda, & B
pro ediſto conſeruando, de quo pax, & quies publica depen-
debat. Reſponſum Regis fuit Reformatos, eorūque fœde-
ratos conſultores, & authores præcipuos fuiſſe, vt generalia,
libellū ſup & libera comitia indiſta fuerint: libera ea non poſſe dici, ſi
plicem. quid ordinum delegatis inhiberetur. Quemadmodum au-
tem his conceſſum ſupplices libellos Regi offerre, ita & Re-
formatis. De ijs autem omnibus ita ſe conſtituere velle, vt in
ſolatium, & quietem omnium ſuorum ſubditorum ceſſura
eſſent. Paulo poſt Rex ordinum delegatis declarauit, ſi regnū
denuò in tumultus & ciuilia bella incideret, neceſſariò hoc C
requiri, vt quam operam, & auxilium præſtare poſſent de-
clararent. ſibi perſuaſum eſſe nobiles pro ſolita alacritate &
promptiſſima voluntate gratificandi Regibus officio ſuo
non defuturos: de eccleſiaſticis, & tertio ordine bonam e-
tiam ſpem concepiſſe. Se dominijs ſui bona vendere decreuiſ-
ſe pro trecentis librarum millibus annui cenſus, de ordinum
tamen conſilio, & aſſenſu. Poſtridie ordinum delegati iu-
bente Rege conuenere, vt de ijs quæ ab ipſo propoſita fue-
rant deliberarent. Ea quatuor articulis continebantur. pri-
mus erat, vt manerent, donec quæ habebant in mandatis eſ-
ſent confeſta. Secundus, vt nominarent aliquos, qui deci-
ſioni omnium poſtulatorum intereſſent. Tertius, vt eum pe-
cunia iuuarent. Quartus, vt quid ſentirent de alienando
dominio palam dicerent. Re inter delegatos tertij ordinis
diligenter expenſa ſtatuerē, nequaquam aſſentiri perpetuæ
alienationi dominijs, neque in toto neque in parte: non ma-
gis aſſentiri voluerunt, vt aliqui mandatorum deciſioni-
bus intereſſent. Præterea ſubſidium pecuniarium ſe con-
cedere non poſſe propter ſummam plebis egeſtatem. Re-
gium

*Regium do-
minium an
alienandū.*

Agium dominium alienari non debere hisce rationibus ostendebant. Regem vsuarium tantum esse dominij sui: siquid ex annuo censu residui esset, stipendijs officiariorum & expensis, quæ ad alendum aulicum comitatum requiruntur, reseruari debere pro reip. necessitatibus. fundum dominij, & proprietatem ad populum pertinere. Idcirco ordinum delegatos in perpetuam dominij alienationem consentire non posse, nisi ad hunc finem expressum mandatum à prouincijs suis habuerint. Prouincias id concedere non debere, quod in publicum populi detrimentum cedat. quandoquidem po-

B pulus in dominij alienationem consentiens se, & posteros ad alendum regem, & regnum suis expensis defendendum se obligaret. Præterea cum ad eam alienationem consensus omnium regni prouinciarum requiratur, & iam magna pars delegatorum veniam abeundi impetrarit, non posse qui remanserant de ea re solos decernere. Item dominium Regis esse instar dotis mulieris quam maritus non potest alienare: per legem fundamentalem regni hanc alienationem prohiberi: Dominium regium præcipuam esse sceptri columnam, quam omnes regnicolæ firmare, & stabilire pro viribus de-

C bent, non demoliri, aut confringere. Rem esse inauditam dominium Regis in perpetuum abalienari, cuius facinoris ordines si conscij essent, apud posteros perpetuam ignominiam subirent. Regnum olim in maiores calamitates deuenisse, præsertim cum Rex Ioannes ab Anglis captus est, dominium tamen illibatum, & integrum semper mansisse. Si semel dominium regium venderetur: censum eius valoris constitutum, quod onus tertij ordinis solius humeris imponeretur: alios ordines huic venditioni facile assentiri mirum non videri, cum à tributis, & vectigalibus soluendis immunes sint.

D Paucis post diebus Rex gubernatoribus prouinciarum scripsit, ordinum delegatos ipsum orasse, vt vna tantum religio catholica Romana in suo regno retineretur: se statuisse ipsorum postularis annuere: proinde viderent, ne quid turbarum in suis præfecturis oboriretur. Facto decreto de abolendo Reformatæ religionis exercitio deliberatum, quibus rationibus bellum aduersus Reformatos commodè geri posset. demum Rex subsidium pecuniarium apud ecclesiasticos inuenit, & in nouorum officiorum venditione. Quia verò cō-

*Pontificio-
rum scripta
edita.*

apud exterarum nationes spargebant, Pontificios publicæ quæ-
tis, & pacis hostes esse, pacificatorium editum alendæ & re-
tinendæ concordie inter regios subditos necessarium reme-
dium ipsos abrogare velle, ut diro, & ferali bello faces accen-
derent. Pontificij ipsi editis scriptis, & viva etiam voce osten-
derunt, non tantum priorum malorum Reformatos cau-
sas esse, sed omnium miseriarum quæ in vniuersum regnum
exundabant. Ipsos æquissimis conditionibus in præteritis
bellis non contentos novos semper tumultus excitasse, regni
prouincijs vastationem denunciassse, Regem minorem, &
plus æquo suis hostibus benignum coegisse ipsis largiri, quod
omnibus regni ordinibus non incommodum modo, sed val-
de perniciosum deprehensum est: qui maior factus apud se
rectè perpendens quod illis induxerat, ipsius dignitati, &
totius regni vtilitati aduersum promissum receperat. Edi-
ctum quantumuis solenne abrogare iure potuisse: cum eius-
modi constitutiones, quæ ad pacandos tumultus sanciu-
tur temporariæ sint, & ad Regis arbitrium mutari possint.
Item ex edicti sententia vnanimi Francorum omnium con-
sensu comitia à Rege fuisse conuocata, ut ipse suorum sub-
ditorum querelis, & necessitatibus prouideret: & quod
commodissimum ad salutem totius regni censeretur, ex
trium ordinum consilio statueret. Prouinciarum autem de-
legatos nihil ad conseruationem cuiusque ordinis vtilius
inuenisse, quàm integram instaurationem veræ, & anti-
quæ religionis catholicæ, apostolicæ, Romanæ, abdi-
cata contraria, quam Reformatam vocant: quæ ex tam per-
uicacibus animis nisi vi armorum euelli non potest: ideo
decretum aduersus refractarios bellum. Præterea omni-
bus notum esse quam perniciosi confœderatorum conatus
sint, qui ante comitiorum decisionem primi arma sumpse-
runt, vrbes interceperunt, pecuniæ magnam vim à subditis
regijs impotenter extorserunt, magnos belli apparatus fe-
cerunt. Quoniam itaque promissum violenter extor-
tum nunquam iustum, nec legitimum iudicatum est, Rex
prior bellum non mouit, & nihil nisi de ordinum sui re-
gni consensu facit: non iniuste, nec iniquè egisse dici po-
test, si omnem operam, & diligentiam adhibet ut securi-
tati vitæ suæ, atque dignitatis, & subditorum quieti a-
liter, quàm antea factum est, prouideat. His Reformati
respon-

A respondebant. Edictum vltimum fuisse à Rege, & à magnatibus obsignatum, & solenni iuramento confirmatum, accepta tanquam pignori exterorum principum fide: ideo nullo prætextu aut titulo abrogari debuisse. Illud in commodum totius regni factum nemine, cum conderetur, aut euulgaretur, contradicente, nisi publicæ quietis hostibus: diutias, opes, pacem, & quietem semper fuisse principum amplitudinem, & gloriam. Has verò abrogatione edicti euerit, quòd inde bella, & tumultus excitari manifestum sit. Si solennia edicta ad sedandos tumultus concepta, & publicata temporaria sunt, & pro arbitrio, & voluntate Regis mutari & abrogari possunt: firmitatem, & fiduciam regijs promissis in posterum nullam fore, cuius simplex sermo plus autoritatis, & securitatis habere debet, quàm iuramenta, & solennia promissa aliorum hominum. Non abrogationem edicti, non decretum bellum autoritate comitiorum posse defendi, quæ neque ritè conuocata, neque legitimè celebrata fuerant, idcirco ea improbabant cum protestatione nullitatis: se arma non sumpsisse, nisi cum planè cognitum est, Regem à consiliarijs suis, & ordinum delegatis persuasum Reformatis excidium molliendum: neque arma capta ad inferendam alicui injuriam, sed repellendam ab insensissimis hostibus, qui direptis facultatibus, dignitatibus, fauoribus, immunitatibus, & alijs ciuilibus prærogatiuis ablatis, vitæ ipsorum insidiabantur, & liberrati conscientiarum, atque quieti inuidebant. Tribus autem de causis autoritati comitiorum sedere rogare dicebant, propter formam, propter finem, & propter personas. Ad primam hanc rationem adferebant cum indicta comitia palam voce præconis fuerint, conuocationes ad delegatos singularum prouinciæ clam factas fuisse ad quas Reformati neque vocati, neque cum venere admissi fuerent. Nemini dubium esse quoties de aliquo negotio magni momenti tractandū est, eos, quorum maximè interest vocandos esse, vt præsentibus ad ea quæ ipsis obijciuntur, respondeant. Ad secundam dicebant, codicillis regijs, quibus indicebantur comitia denunciatum fuisse, Regem in eum finem tres ordines regni sui conuocare, vt querelas subditorum audiret, & necessitatibus illorum prouideret: quærere autem renouandi ciuilibus belli occasiones, & pacificatorium edictum abro-

gare, non esse querelis, & necessitatibus populi providere. **A**
 Articulo quarto edicti cautum esse, vt Reformatis suæ reli-
 gionis exercitium relinqueretur vsque ad sancti, & liberi cõ-
 cilij determinationem. Ad tertiam dicebant ordinum dele-
 gatos eiusmodi esse, vt de religionis negotio decidere non
 possent, quia cùm ipsi accusentur, & ad reformandam eccle-
 siam vocentur, iudices in propria causa eos esse non posse.
 Hoc ex omnium gentium legibus cõprobari. Præterea illos
 peculiare mandatum à prouincijs de exterminanda Reforma-
 ta religione non habere. Item canones pontificij iuris laicis,
 ne quid decident in religionis negotijs, neque disceptent de fi- **B**
 de, atque alijs rebus spiritualibus, prohibere. Quod cùm in
 concilio Tridentino, cuius adsertores videri volunt, confir-
 matum sit, mirum contra suas leges tantum facinus audere.
 Cùm itaque comitia non fuerint in eum finem indicta, vt de
 articulis in religione controuersis disquisitio fieret, & delega-
 ti indigni, inhabiles, incapaces, & minimè idonei sint, qui-
 bus mandata de eo negotio tractando committantur: con-
 stat, in eo Blesensi conuentu de religione nihil tractari, aut
 decidi potuisse. Et cùm per totum regnum diuulgatum fue-
 rit, Regem non velle aliam religionem, quàm Romanam tole- **C**
 rare, & Pontificij Regi persuaferint, bellum Reformatis indi-
 cendum abrogato pacificatorio edicto, Reformati iuxta indi-
 ctionem ad comitia non fuerint vocati, fœdera, & societates
 pro abolenda ipsorum religione initæ sint: Nauarræ, &
 Condæ ingressus in vrbes suarum præfecturarum denega-
 tus: copiarum duces mandata receperint belli gerendi aduer-
 sus eos, qui à Pontificia religione desciuere: omnibus perspi-
 cuum, Reformatos iustam habere causam cauendi à Pontifi-
 cijs, & ipsorum conatus præuertendi. Reformati etiam duas
 rationes diluebant, quibus aduersarij nitebantur Regi per- **D**
 suadere, desciscantibus à Rom religione fidem non esse seruandam.
 Prima erat Reformatos magna ex parte fœdisfragos esse,
 qui abiurata nouitia religione ad pontificia sacra redierant,
 Romanam religionē se armis cùm opus fore defensuros pro-
 ferant, & nunc promissorum obliti contra Pontificios arma
 caperent: non debere ideo Regem fœdisfragis seruare fidem.
 Secunda, eos qui reformationem ecclesiæ iactabant hæreti-
 cos esse, quibus fidem non esse seruandam sacri conciliorum
 canones disertè pronunciant: idcirco Regis fidem nullo mo-
 do

*Pontificij
 cur fidē Re-
 formatis nō
 seruandam
 dicant.*

- A** do Reformatis esse obligatam. Ad primam itaque responde-
bant, quòd abrupta fuerit Pontificijs fides, ad omnes Refor-
matus non pertinere, præterea promissa non seruanda, quæ
contra bonos mores, contra Deum, & religionem facta sunt,
& vi, atque metu extorta. Ad secundam, Cùm Rex ipsis suæ
religionis exercitium vsque ad generale concilium promitte-
ret: tunc neque ab eo, neque ab ipsius consiliarijs pro hære-
ticis habitos fuisse, ideo Regi non subesse causam cur fidem
frangere Reformatis deberet. non ad ipsius tantum decus, sed
etiam commodum pertinere, vt stet promissis. Nam si subdi-
tis liberum religionis exercitium permiserit: maior eorum
pars à tumultibus & periculis bellicis tuta agros colet, semē-
tēque faciet, & fructus laboris percipiens commerciumq;
& mercaturam exercens ex annuo censu, & mercaturæ com-
modis tributa, & vectigalia consueta soluere poterit, quæ du-
rante bello fieri non possunt. Tunc enim agricolæ ædes, & a-
gros deferere coguntur, vt saluti consulant. Nec ita facile vt
ab aduersarijs Regi persuasum est, Reformatos armis debella-
re, cùm non sola plebs ei religioni sit addicta, sed regij stem-
matis principes primi, & magna nobilitatis pars. Consultius
itaque facturum Regem, si illis aures præberet, qui hortatur,
vt fidem, & promissa inuiolatè seruet, & subditos in pace cō-
tineat, potius quàm ijs, qui suadent, vt omnis authoritas edi-
cto pacificatorio abrogetur: quia illi in turbis cōmoda quæ-
runt, & peculiarem vtilitatem regio honore, & commodo
pacēque publica potiore ducunt. Cùm viderent autem Re-
formati omnia ad bellum spectare, & regios cōsiliarios Pon-
tificiorum causam tueri decreuisse: qua potuere diligentia cō-
pías coegere. quorum consilia cùm Regi, atque ordinum de-
legatis innotuere, ad Condæum summum illorum ducē sub
authoritate Nauarræi legatos misere, qui declararent, non iu-
stam eum habere causam belli gerendi. Cōdæus benigno vul-
tu excepit eos, qui à Rege mittebantur. qui ab ordinum dele-
gatis veniebant, eos audire noluit, quòd sibi persuaderet illos
malorum, quæ futurum bellum regno esset allaturū, causam
præcipuam esse, & quòd Regi authores fuissent, vt Reforma-
tis suæ religionis exercitium auferret. Post finita comitia Rex
legatos ad varios principes decreuit, qui declararent, quam
iustam haberet causam abolendi exercitium Reformatæ reli-
gionis, quam vocant, quòd omnes regni ordines in legitimis

*Reformato-
rum de ser-
uanda fide
responsum.*

*Legatio Re-
gis ad prin-
cipes Palat.
& Landgra-
uium.*

comitijs id statuissent, iudicantes ad cōmunem omniū quietē A
pertinere: simul etiam principes obtestarentur, vt pro amicitia à longo tempore cum sceptro Francico inita, & hucusque inuiolatē seruata nullum auxilium ijs mitterent, quos decreuerat tanquam veros hostes bello persequi, si ipsius mandatis parēre recusarent. In Germaniam autem ad Palatinum electorem & fratrem Casimirum, item ad Landgrauium Hesiæ Velquierum misit. Qui cū ad eos peruenit declarauit, sicuti in mandatis habebat, Regem dominum suum pro fœdere & amicitia, quæ à multis seculis intercesserat inter Reges Franciæ, & ipsorum familias, voluisse eis sua consilia cōmunicare. B
Nuper se tres regni sui ordines conuocasse, quorū consilio, & suasu statuerat, vt sui subditi nullum aliud exercitiū religionis haberent, quàm quod est ab ecclesia Romana adprobatū. Ordinum autem postulatis in hoc religionis negotio eò lubentius annuisse, quoniam sua conscientia iudicaret ita esse faciendum. exemplo etiam maiorū ad id incitatus, qui quòd Romanæ religioni addictissimi fuerint, regnum pacatum, & ab omni ciuili tumultu alienum habuere. Præterea se experientia didicisse, diuersarum religionum exercitia in omnes regni prouincias, in quibus stabilita, & confirmata fuere, no C
uas litium, & dissidiorum occasiones inter regios subditos adferre, & seditionibus, ac tumultibus faces accendere. Cuius manifestum, congressus publicos Reformatorum magis ad factiones alendas, quàm ad diuinum cultum faciendum inseruire. omnes conatus & consilia eos adhibere, vt Regi autoritate pares sint, & omnem obedientiam sensim exuāt. Obsequium quidem, & cultum Regi polliceri, sed quem præstare nolunt, nisi ipse eorum postulatus annuerit. Nouissimè refractarios, & rebelles se manifestè ostendisse, cū copias in Chariteam in iussu Regis introducere, & oppida, atque ca- D
stella complura in Pictonibus, & Xanctonibus intercepte, non sine multorum Pontificiorum cæde. Vltimum pacificatorium edictum, pro quo tuendo tantas tragædias excitant, iussu Regis per omnes regni prouincias publicatum, sed cōplures vrbes summa peruicacia obstitisse, ne Reformatæ religionis exercitium apud se constitueretur: Regem de hac re interpellatum, sed nihil efficere potuisse, contradicentibus Pontificijs, qui Reformatorum insolentiam ferre non poterant, quod perspicerent illos ad destructionem catholicæ religio-

Aligionis incrementum indies suscipere, ne hoc malum latius serperet, Pontificios commune fœdus inter se inijsse, vt auitâ religionem contra omnes aduersariorum machinas defendât. Hæc præcipuè Regem mouisse, vt ordinum postulata admitteret. maiorum etiam suorum exemplo incitatum ad suū statum, & dignitatem confirmandam, & tuendam, quòd videat illos regnum fœliciter gubernasse, & populos in omnibus obsequentes habuisse quamdiu vixere cum vno solo catholice religionis exercitio. exemplum etiā capere à Regina Angliæ, & principibus Germaniæ, qui non patiuntur in suis

Bditionibus aliam religionis formam præter eam, quam profitentur. Interea tamen Regem non minori beneuolentiæ affectu prosequi velle suos subditos, qui nouitiam illam religionem profitentur. In eadem enim tutela eos habere, qua Pontificios: ipsum etiam permittere, vt in libertate conscientiæ quisque viuât, neque velle cogere, aut compellere, vt ad sacra Pontificia vllus inuitus ducatur, tantum ab illis exposcere, vt obedientiam, & cultum sibi præstent, quem naturales subditi debent. Si verò præfractè regijs mandatis parere recusarint, Regem orare Germaniæ principes, ne ipsos auxilio, aut

Cfauore iuuent. Quantum verò ad pecuniā attinet, quæ debebatur equitibus, quos nuper Casimirus in confœderatorum gratiam adduxerat, Regem polliceri eam quā primū solutum iri. iniuriā temporum impedijse quo minus non dum promissis satisfacere potuerit. Casimirus Palatinus de scripto respondit. Gratiās se agere Regi, quòd electori fratri, & sibi cōsilia tā amicè cōmunicaret, fratrem non tantū in electoralē dignitatē patri successisse, sed in beneuolentiā, & propensum affectū erga Regem, & regnū. se admodū verò mirari pacificatorium edictū ad publicā regni quietem, & omnium

Dnium subditorum commodum conceptum, quod liberrima voluntate subsignarat, & principum, ac Curiarum assensu solenniter confirmarat: ipsius indultu violari. experientia didicisse, nec violentiam armorum, nec persecutionum atrocitatem Reformatam religionem exterminare ex regno potuisse. In memoriam Rex reuocaret consilium Gamalielis, diligenter insuper apud se perpenderet, in rerum administrationib. id solū bonum, & cōmodum esse, quod necessariū deprehenditur. Germaniam, Poloniā, Hungariā, Heluetiam il-

Casimiri litteræ ad Henricum III. regem Gallie.

li exemplo esse posse. eas nationes opima pace florere, quo - A
 niam ibi hominum conscientijs satisfactū sit. Vnde videre fa-
 cile est, non permissum exercitium religionis, quæ minus à
 Romana sede probatur, sed illius impedimentum ac prohi-
 bitionem calamitates excitasse: quæ per vniuersum Gallix
 regnum grassantur. Præterea cū ipse non potuerit pacem
 inter subditos opinionibus dissidentes verè conciliare nisi
 promulgato edicto: hinc perspicì posse obseruationem edicti
 firmæ pacis fundamentum esse, & quemadmodum obserua-
 tione edicti pax retinetur, & belli occasio vitatur: ita inter-
 missa, subditorum obedientia recuperatur. Nam hoc certiss. B
 simum & exploratū est, principē, qui in seditione populari
 alterutrā partem fouet nunquam obediētes subditos habere
 posse, quod ea pars cui aduersatur non communem amplius
 patrem, sed dirum hostem illum experiatur. Quod Regina
 Angliæ in exemplum adducitur, hoc nihil ad rem facere.
 Nam prout propensissimo est adfectu erga subditos, & pacis
 admodum studiosa: si vidisset tot principes regulos, & nobi-
 les, aliōsque subditos regni sui religionem Pontificiam pro-
 fitentes, qui ipsam de illius religionis exercitio interpellas-
 sent, quemadmodū Regis subditi toties ipsius maiestatem in- C
 terpellarunt: ipsorum postulatis potius annuisset, quàm in
 tam graues tumultus regnum fuisset coniectum. Nec Germa-
 nia exemplum commodius allegatur. Nam principem vnū
 Germaniæ cū Francorum Rege conferre inepta compara-
 tio est: sed si Franciæ regnum cū tota Germania conferatur,
 concinna erit proportio. Quod verò dicitur, Regem liberta-
 tem conscientiarum subditis suis, qui Reformatam religio-
 nem amplectuntur, sine illius religionis exercitio relinquere:
 id perinde esse, ac si Rex diceret, se vitam subditis concedere,
 interim cibaria illis auferret. quandoquidem libertas con- D
 scientiæ sine exercitio religionis dici non potest: quia qui
 nullam professionem religionis facit, nullam habere con-
 scientiam videtur, neque de sua salute maximè sollicitus esse:
 quod Pontificij non dissimulant, qui missa carere non possunt.
 Itaque se Regem hortari, vt suum edictum curet obseruari,
 & adulterina comitia reformet: quoniam contra Regis de-
 cus atque commodum faciunt, cū ipsum abrogato edicto
 autoritate ad bellum subditis suis gerendum incitant. His
 admonitionib. se libèter supersedisse, sed duabus de causis ad
 id

- A** id agendum impulsus fuisse. Prima quòd fœdus pacis ipse obfignauerit, ideo totis viribus se eniti debere, vt illa inuoluta feruetur. Altera, quòd syncero affectu cupiat Franciæ regnum omni tumultu bellico vacuum, florētissima pace frui, & Regi fausta omnia, atque prospera præcetur omnia consilia, & vires ad tuendum sceptrum Francicum conferte paratus. Orare etiam ipsum regem suo & columellarum omniū nomine, vt in proximis Francfordiensib. nundinis debita pecunia repræsentetur. Eadem ferè cum Landgrauio tractata sunt: qui responsum eiusmodi dedit. Se quammaximas Regi gratias agere, quòd amicitiam, quæ perpetuò fuit Franciæ regibus cum Landgrauiorum Helsiæ familia in memoria habeat, in ea amicitia confirmanda, & conseruanda suo officio non defuturum. Quòd autem per legatum suum declaret postulantis trium ordinum delegatis in comitijs Blesij congregatis ne vllius religionis præterquam catholicæ, apostolicæ, Romanæ exercitium permetteret in suo regno, reformatæ religionis exercitium non amplius pati decreuisse: existimare nihil optabilius Christianis videri, quàm, vt Deus permetteret per suam clementiam, & benignitatem hanc religionem Romanam talem esse, qualis à principio fuit annuntiata, & plantata Romæ per apostolum Paulum, sicuti videre licet in epistola ad Romanos. & non tantum in Gallia altas radices egisset, sed in omnibus terræ partibus purè conseruaretur. Sed manifestum esse religionem Romæ post tempora Apostolorum, & tunc maxime, cum pontificis Romani auctoritas adeo creuit, vt superare voluerit imperatorum, regumque potentiam, eosque suæ censuræ subijcere multis corruptelis, erroribus, & idololatrijs adulteratam fuisse: de ea corruptione multos bonos viros non solum his, sed præcis etiam temporibus grauiter conquestos fuisse, & summoperè exoptasse vtilem, & seriā ecclesiæ reformationem fieri, sed inutiles atque irritas ipsorum querelas, & vota inania extitisse, quemadmodum multorum seculorum historiæ testantur, pontificibus iudicium omne, atque censuram fugientibus. hac de causa coactos fuisse patrum nostrorum ætate pios viros apud multas Europæ gentes, vt paci conscientiarum consulere, & diuino præcepto de fugienda idololatria obedirent, ab obsequio, & obseruantia Romanæ sedis se subtrahere, & ecclesiæ reformationem talem instituere, quæ esset cōformis,

G. Landgrauij responsum ad Re. H. Gallie.

& consona prophetiis, & apostolicis scriptis, cum eam à **A**
 praelatis non potuissent impetrare ratione cum scriptura sa-
 cra dictante, æquum esse magis obedire Deo, quàm homini-
 bus. Cuius autem notum esse post graues tumultus, & atro-
 cissima bella nullum salubrius remedium inueniri ad infor-
 tunia à regno Francico auertenda, quàm ijs, qui à Romano
 pontifice defecerunt, libertatem conscientiarum cum pleno
 religionis suæ exercitio permittere, secundum confessionem
 Regi Carolo exhibitam. Cum verò Rex ipse de consilio regi-
 næ matris, principum regij stemmatis, sceptri officiariorum,
 & secretioris consilij virorum perpetuò edicto sanciuerit, & **B**
 solenni iuramento promiserit, se integrè, atque inuiolatè ser-
 uare velle pacem nouissimè inter subditos graui bello im-
 plicitos conciliatam, & in omnibus regni prouincijs publi-
 catam, atque etiam multis Germaniæ principibus, per literas
 significauerit: admodum mirum sibi videri, regia promissa
 ad gratificandum ordinibus violata, quorum delegati (vt Re-
 formati adseuerant) mandata à prouincijs data perfidiosè, &
 veteratoriè mutarunt ab ijs subornati qui pacem oderunt, &
 Regis regnòq; infideles sunt, priuata commoda publico bo-
 no præferentes. Secum Regem reputare debere, ex iuramento **C**
 quocúmque; utilitatis prætextu violato nihil vnquam laudis,
 nec commodi prouenisse. Rem esse difficillimam, ac periculo
 plenam regij stemmatis principes in ordinem redigere, aut
 exterminare velle, & cum illis tot hominum myriadas qui
 religionem reformatam amplexati sunt, grauis etiam com-
 miseratio subit cum illis omnes Regis subditi sint, & qui ni-
 hil antiquius habent, quàm pro regia dignitate defendenda
 facultates omnes & denique vitam ipsam profundere. me-
 tuendum sibi videri ne illi abiecta omni spe reconciliationis
 cogantur pro vita, & rebus conseruandis ex desperatione ad **D**
 extrema remedia confugere, quæ fortasse Regi, & regno exi-
 tialia forent. quòd si res pro voto successerit, vt omnes qui re-
 formatam religionem profitentur occisione tandem delean-
 tur: nonne Rex vna manu alteram abscidisse dicetur, qui se
 altera parte virium sciens, & volens spoliauerit: quod verò
 veteratores nonnulli illi persuaferunt diuersas religiones, si in
 vno regno tolerentur, turbas & tumultus omnis generis ad-
 ferre, & propterea subditos in fide, & officio retineri nō pos-
 se, & ad id Germanorum principum exemplum adducunt,
 qui

A qui in suis ditionibus aliam religionem præter eam, quàm profitentur pati nolunt, id nulla ratione niti. Nam in concuētibus imperialibus semper fuit statutum, vt liberum exercitium pontificiæ, & protestantium religionum relinquere-
tur ijs, qui alterutram, aut etiam ambas amplecterentur. Præ-
terea Franciæ amplissimum regnum non esse cum electoris
vnius, aut alterius principis ditionibus comparandum, non
solum quòd multum inæqualis sit proportio, sed etiam quòd
ipsi Germaniæ principes nunquam solenni iuramento pro-
miserint, quòd Rex suis subditis promissit. Quòd Reformati
B ab aduersarijs rebellionis, & seditionis accusentur: id Chri-
stianis non esse nouum. Idem prophetis, & apostolis, & ipsi
etiam Christo saluatori nostro accidisse, qui Dei tantum cula-
tum vrgebāt. Sed si vera causa tumultuum & turbarum, quæ
hucusque regnum miserabiliter concusserunt, quærat: ea
verè assignari potest, quòd synceræ & orthodoxæ doctrinæ
cursus à veritatis hostibus impeditus sit, & nunc adhuc im-
pediatur. Ne itaque Rex consilium illud admittat, quòd per-
fici non potest, nisi cum ruina sceptri sui, & horrendis subdi-
torum suorum cædibus: sed potius edictum suum vtiliter
C conceptum, & sanctè confirmatum inuiolatè seruet, & con-
stātè tueatur, nec permittat illud vlla in parte violari. Si pro
Christiano zelo cupit conciliationem in religionis negotio
ad pacem ecclesiarum fieri, & conatus, & consilia sua ad id
vult conuerti: laudabile quidem opus eum adgredi, quòd
exemplo magnanimatorum, & piorum imperatorum ntitur,
Constantini, Theodosij, & Caroli, qui ad tollenda dissidia,
quæ ecclesiæ pacem turbabant, concilia conuocanda cura-
runt. Hoc verum remedium amouendorum schismatum, &
extirpandorum errorum, ac veræ doctrinæ, firmissimèq; pa-
D cis in ecclesia adserendæ ab Apostolorum temporibus vsur-
patum. Liberum itaque, ac legitimum nationale concilium
inaliqua regni sui vrbe indicet, in quo controuersiæ decidi
possint, & pax ecclesiæ reddi: quandoquidem vis armorum
nunquam in hoc negotio profuit. Ad id autem quòd Rex
postulabat, ne Landgravius causam Reformatorum iuuaret,
si ad arma veniendum esset, ipse respondebat, hætenus alio-
rum negotijs se nequaquam immiscuisse. Non consilio, hor-
tatione, aut fauore, nec vllò alio modò Regis subditis præ-
buisse vnquam occasionem nouas res moliendi, nec aliquid

*Navarrei
literæ ad
nobiles A-
quitaniæ.*

tentandi aduersus Regem: sperare se in ea propensa volunta- A
te, & sincera amicitia erga ipsius maiestatem perseueraturū,
quam orabat omnia, quæ liberè, & beneuolo animo respon-
derat, in bonam partem acciperet. Reformati quòd ordinum
delegatos suspectos haberēt, & iam certiori fama cognosce-
rent, eos consentientibus animis statuissē supplicandum Re-
gi esse, vt vnā tantū religionem pontificiam in regno suo
toleraret: ante plenā comitiorum determinationem rebus
suis in tēpore providere decreuerē, ne imparati & incauti ab-
hostibus opprimerentur. Nauarræus omnium confædera-
torum tutela suscepta ad nobiles Aquitanix scripsit, se soli B
citè, & diligenter curasse, vt omnes Regis subditi iuxta paci-
ficatorium edictum abolita præteritarum offensarum memo-
ria pacatè, & sine rixis viuerent: repertos tamen fuisse Bur-
degalæ nōnullos turbulentos homines, qui præsentem quie-
tem inturbare voluerint. Vilarsum Amirantem multos
nobiles cotholicæ religionis monuisse, vt arma, & equos pa-
rarent. Pontem sancti spiritus ad Rhodanum iam à Pontifi-
cijs occupatum. Thoræum Danuillæ fratrem, & qui cum eo
erant nobiles in custodia detineri tanquam belli captiuos.
Hæc certissima belli præludia esse: sibi persuadere non posse C
iussu Regis fieri, qui sæpius declarauit se edictum pacificato-
rium inuiolatum seruare velle, iuberèque, vt omnes subditi
ex illius præscripto pacatè, & quietè viuant: debere eccle-
siasticos nobiles, & ciuitates Aquitanix vnanimi consensu
cū Reformatis edictum sincere obseruare, ob id maximè,
quòd pacem colendo regix voluntati se obsequi norint. Et
quia conseruatio, & salus populi est æquissima & suprema
Lex Deo, & hominibus probata, debere omnes pios, & pa-
trix amantes ad tam laudabile opus vires omnes, atque con-
filiā conferre, vt hostium conatus, qui publicæ quieti con- D
trarij sunt, impediuntur, & communi consensu se fortiter op-
ponere omnibus, qui pacem in bellum mutare conantur, &
præteritas calamitates reducere, diligenter etiam cauere, ne
deinceps circumueniantur falsò religionis catholicæ, obe-
dientix, ac fidei erga Regem, ac publici boni prætextu. Reli-
gio enim non gladio, sed persuasionē, ac vi doctrinæ in cor-
dibus hominum plantatur, & honesto vitæ exemplo confir-
matur. Nullum autem officium Regi nec vtilius, nec fidelius
præstari nunc temporis posse, quàm voluntates subditorum
concilian-

- A** conciliando, & pacem inter eos confirmando, quandoquidē bella ciuilia regum ærarium expilarunt, subditos ad rerum omnium inopiam redegerunt, & quicquid hætenus armis tentatum est ad extirpandam Reformatorum religionem, nulum alium fructum produxit, quàm quod Galliam cædibus, incendijs, immanitate, ac sæuitia omni impleuit: populum prædatoribus, & latronibus prædæ exposuit, & iram Dei erga omnes ordines accendit. bonum publicum post tot vrbium excidia, & agrorum vastationes ex sapientiorum & peritiorum consilio in longa, & diutina pace consistere. Hæc solam posse Franciæ regnum in pristinum splendorem restituere. Communi itaque paci & quieti consulendum, & illorum conatibus, qui nouos tumultus excitare volunt occurrendum. Testabatur præterea Nauarræus coram Deo, qui iudex est omnium hominum, & scrutator cordium, se sub Regis auctoritate velle omnes vtriusque religionis homines, qui sunt in sua præfectura in suam tutelam recipere ac sollicitè conseruare, illis æqualiter ius distribuere, & omnes, qui pacē, ac concordiam publicam inturbant, se in hostium numero habiturum, in eisque persequendis nec bonis, nec vitæ parcere decreuisse. Postea Condæus iuxta Nauarræi voluntatem hanc protestationem publicauit.

Nos Henricus Borbonius princeps Condæus postquam vidimus, & intelleximus iniustam, & perniciosam determinationem factā in adulterinis & subornatis comitis, quæ Blesij sue-re habita, qua contra publicum iudicium, & sacrum iuramentum edictum pacificatorium à principibus regni subsignatum, & in omnibus supremis Curijs publicatum contra ius omne diuinum & humanum abrogatum est. Cum primi consiliarij hu-

*Codæi proo-
testatio.*

- D**ius regni, vastatores sceptri, Hispaniæ stipendiarij, authores immanium cædiū procurarint, ut ordinum delegati consentirent in abolendo Reformatæ religionis exercitio feralia fœdera, quæ admodum nuper in hoc regno percussa sunt, concitarint ad opprimendos eos, qui hanc religionem profitentur, & in ijs maxime viros doctos, & diuites, ut postea nemine amplius ipsorum conatibus obistente iugū crudelissimæ tyrannidis miseris Francorum capitibus imponere possint: cum sibi etiam proposuerint armis, veneficijs, & immisiss clam percussoribus splendidissimas

& maximè illustres familias huius regni inter ceteras Borbo- A
 niensem, & Memorancianam opprimere, digniores ac Regi fide-
 liores, qui Pontificie religionis sunt officijs, & meritis honoribus
 priuare, ut indignos, & nullius pensi homines sua factionis illis
 dignitatibus ornēt, ita ut ipsorum furor in omnes viros probos,
 & sinceros vtriusq; religionis effusus, qui ipsorum nequitijs, ra-
 pinis, perfidijs, & alijs flagitijs offensi coacti sunt se nobiscum so-
 ciare: & postea quia eorum furcibus se opprimere voluerunt
 iisdem miserijs, & calamitatibus sunt inuoluti, quibus & nos
 fuimus. Præterea antiquas leges, & regias consuetudines hu- B
 ius regni nihili facientes, nobiles vectigales & tributarios red-
 dere volunt spoliare opibus vrbes populum diripere, & Fran-
 cos omnes in perpetuis bellis, odijs, & dissidijs retinere. Regi hor-
 tatores fuere ut in suam clientelam Flandros, & Arrebatos su-
 scipere recusaret (quamuis ea regiones antiquum patrimonium
 sceptri Francici habeantur) & oblatam Genue possessionem re-
 pudicaret sic ut facile videatur nullam amplius spem restare in-
 tegrum regni statum conseruari posse, nisi ut nos ipsos Dei au-
 xilio fretos illorum immanitati, antequam latius grassetur, op- C
 ponamus. Propter tam iustas & legitimas causas nos cum mul-
 tis regulis, & nobilibus, ac alijs insignibus viris, qui se nobis ad-
 iunxerunt protestamur, quod per gratiam omnipotentis ac in-
 uicti Dei, vocati ad iustissimam defensionem nostræ patriæ mise-
 rabiliter prostituta arma capimus (licet inuiti propter tristes e-
 uentus, quos bella ciuilia producunt) sub auctoritate Regis Na-
 varrai ex illiusq; iussu primi principis regij stemmatis, Reforma-
 tarum ecclesiarum, & confederatorum pontificiorum prote-
 ctoris, atque in Aquitania generalis legati Regis, quibus armis
 cum Dei auxilio coacti sumus inuiti ad repellendam violentiā, D
 & crudelitatem, quam hostes in nostras conscientias, honores,
 bona, & vitas exercere voluit. Iuramus autem per fidem prin-
 cipis veritatem amantis, & ab omni furore alieni pro tam iusta
 causa quicquid in nostra est potestate insumere velle, nun-
 quam arma deponere, donec regnum in pristinum splendorem,
 & dignitatem restituerimus, & ordinibus libertatem, regijsq;
 edictis auctoritatem adseruerimus, ac miseram plebem ab im-
 modicis

A modicis tributis & exactionibus liberauerimus, quas Itali inuenerunt. Animus enim nobis est Francos eximere ab infami, & tyrannica seruitute, qua nunc sunt oppressi. quod turpi sortordia teneantur, & in diras factiones sint diducti, & vasis consilij eorum qui volunt ad summos honores euehi per principum & nobilium Francie gentis excidium, & legum fundamentalium & antiquarum consuetudinum regni cōtemptum circumuerti: declaramus itaq; eos, qui cōtra nos arma capient ad opprimendam patrie libertatem, & nos in seruitutem redigendos, hostes nostros esse, sceptrōq; Francico rebelles: Imploramusq; in nostrum auxilium omnes Reges, Reginas, principes & res. & maximè omnes fideles, & indigenas Francos, in quorū pectoribus aliquod generosum desiderium recuperanda libertatis à maioribus relicta residet, & amor erga patriam miserè afflicta non prorsus extinctus est. Infrà pro Emblemate appositum erat. DEO ET VICTRICIBVS ARMIS.

Iam à principio comitiorum cum fœdera à Pontificijs cōtra se inita audire Reformati: consilia ad bellum conuerrere, maximèque ad defensionem parandam intenti fuere, quā iustissimam esse non dubitabant, quod necessaria esset, & auctoritate edicti niteretur, quo Rex suam voluntatem in defendendis actuendis omnibus subditis suis cuiuscumque religionis conditionisve essent, satis apertè expresserat. Expectabant autem vt Pontificij priores in bello auspicando essent, ne teterrimi belli culpa in ipsos deriuaretur. Pōtificij etsi apparatibus belli faciendis maximè intenti essent: clam tamen omnia administrabant, nec tam citò incipere volebant, expectantes comitiorum determinationem, quàm fundamentum belli esse volebant. Sed vt bellica negotia ex occasione & temeritate magis, quàm consilio & prudentia administratur: quidam ex Pontificijs tribunis Loynesus nomine ex leue & incerta suspicione huius belli auspicandi occasionē præbuit indignantibus alijs Pontificijs, qui trium mensium spacio ab hostibus se præuentos dicebant. Is cum Pontem sancti spiritus ad Rhodanum in Danuillæ præfectura præsidio tueretur, suspicatus Thoræum ipsius Danuillæ fratrem *Thoræus* quorundam Pontificiorum, & Reformatorum confœdera. & alij ca-
torum auxilio se absente occupare velle, ei; præfecti titulo *piuntur.*

præesse: eius conatibus occurrere decreuit. Reuersus itaque **A**
 à comitijs portas vrbis occlusit, & quos suspectos habebat
Thoræus foras eiecit, Thoræo, & cum eo nobilibus aliquot captis. Is
& alij ca- verò ex Loynesii manibus solerter se expediens, simul ac Ba-
piuntur. gnosum peruenit, querulas literas ad fratrem aduersus Loyn-
 nesum misit. Danuilla statim Nauarræum de hacre admo-
 nuît. Is Condæo properè significauit, vt omnes copiarum
 duces, qui ipsi nomina dederant, admonerentur, vt parati in
 armis essent: diligentèrque cauerent, ne quid detrimenti ab
 hostibus inferretur, omnibus æstimantibus Loynesum ex
 maiorum consilio urbem cuius erat custos, in potestatem re- **B**
 degisse, & illud factum sexti ciuilibus belli classicum esse. Da-
 nuilla etiam ad Regem, reginamq; scripsit maximè cupiens,
 vt Loynesii temeritatem damnarent, quo iustam causam habe-
 ret urbem armis recuperandi: diligentiamq; adhibuit, vt om-
 nes vrbes à Ponte spiritus sancti vsque ad Narbonem suo im-
 perio subijcerentur, quòd factum est sine vllò armorum tumul-
 tu. Condæus in Pictonibus, & Xanctonibus alijsque vicinis
 locis pari diligentia vsus est. Paulo pòst Reola per Fauaxium
 pro Nauarræo capta fuit adiuuantibus aliquot incolis, qui
 illius partes secretò fouebant. Vrbs sita est ad Garumnâ o- **C**
 ctodecim passuum millibus à Burdegala, ideo magno impe-
 dimento esse poterat comitatibus, qui secundo flumine de-
Burdegale- ueherentur. Burdegalenses egerrimè ferentes Reformatorum
ses Refor- arma adeo in propinquo esse: præcipuos illius factionis, qui
mati ca- in vrbe erant, numero ad trecentos in cœnobîa, & alia publica
piuntur. loca Villarsij instinctu & iussu senatus detruserunt, quib. de-
 clararunt, hoc nō fieri vt vitæ suæ periculū crearetur, aut facul-
 tatibus detrimentū inferretur, sed quòd prouidere vellent, ne
 Burdegala, quemadmodū Reola, caperetur. Niortum simili
 astu fermè interceptū fuit, sed qui inibi huius coniurationis **D**
 erant, cum verba quædā temerè effutissent ex suspitione capti
 sunt: quorum alij in carceres coniecti sunt, alij vltimo sup-
 plicio adfecti, alij qui ne caperentur viriliter se defendere,
 trucidati. Eorum cōscij partim amicorum opera fideliter ser-
 uati, partim sceleriter elapsi. Hæc coniuratio iniquissima vi-
 sa est, quòd paulo antè Pontificij, & Reformati mutuò fidem
 dederant, quòd urbem simul communibus armis fideliter
 tuerentur sub authoritate regia aduersus omnes, qui eam in-
 uasuri essent. Confœderati dicebant Pontificios factionem
 priores

- A** priores violasse, quòd conciuēs suos secundum illam viuere non permitterent, eosque in vr̄bis perniciem nihil fui. Temolitos. Sub id tempus Choppiniereus, & Louerieus nobiles ex Pictontum regione prope Langonum à Fontenenlibus inuenti ab illis inuasi sunt, & grauius vulnerati. Louerieus ē *Tribuni quidam ex Reformatis vulnerati.* vulneribus paulo post mortuus est, alter Fontenæum ductus. Causa eius coram iudice acta, & cum nihil eorum de quibus accusabatur probari potuisset, absolutus fuit, & domum remissus. Condæus Fontenenſium audax facinus improbens satis acerbè ad eos scripsit, sed eius literis non maximè per-
- B** moti sunt. Rupellæ tunc erat Condæus, qui cum omnia ad bellum inclinare videret, in cubiculum suum vr̄bis præto-
- C** rem & primarios ciues vocauit, iisq; præsentibus multis nobilibus, & copiarum ducibus declarauit, graue bellum impendere, ad quod inuerti quidem trahebantur, sed Regis consilia eò tendere, vt in Reformatorum perniciem edictum aboleretur. manifestum cuius esse Nauarræum omniū Reformatarum ecclesiarum tutelam suscepisse, & hostium conatibus sese opponere decreuisse: sibi semper mentem fuisse pro tam pia ac iusta causa vitam propriam profundere, quā causam Rupellenses serio velle amplecti, & gnauiter defendere sibi persuadebat: eos idcirco orabat, vt adfectu, & voluntate, sibi & Nauarræo coniungerentur, & factis declararent quo zelo ad veram religionem defendendam ducerentur. Commodius id fieri non posse, quā si sanctum, & inuiolabile fœdus inter se percuterent. Illud Nauarræum expectare, & iam aliquid egregium patrasse, si de ipsorum egregia ad eam causam tuendam voluntate certò cognouisset. Eos itaque se orare vt Noxum audirent in ijs quæ propositurus erat, tum de periculoso statu, in quo religionis negotium versabatur,
- D** tum de ineundis rationibus, quibus omnes simul peruersis inimicorum consilijs resistere possent. Duarum horarum interiecto spacio decuriones vr̄bis in prætorium venire, & duos viros delegere, qui cum Noxæ de toto negotio conferrent. Ille quid in comitijs statutum fuerat declarauit, vnā Romanam religionem in vniuerso regno retinendam. Regē eos fouere, qui omnes Reformatam religionem profitentes extinctos cupiebant. sanctum fœdus indicio esse, ad quod obseruandum ipse Pontificios iuramento adstringebat, & illos persequi, qui fœderi assentiri nollent, vnicuiq; permettebat.

*Codæus no-
uum fœdus
cum Rupel-
lensib. init.*

Ad eos nefarios conatus reprimendos regem Nauarræum, **A**
 principem Condæum, & regulos Memorancios, atque alios
 primariæ nobilitatis viros vtriusq; religionis decreuisse o-
 mnes conatus & consilia adhibere, & statuisset necessitate co-
 actos contrarium fœdus inire, ad quod omnes sine discrimi-
 ne admitterentur, qui voluntariè eam societatem adpeterent,
 cùm illud negotium non religionem tantū, sed politiam etiā,
 & publicam regni quietem respiceret. Fœderis finem esse, vt
 Reformati, & Pontificij, qui pacis amore tenerentur, possent
 antiquam libertatem conseruare, & hostium insidias decli- **B**
 nare, ac sœuitiam retundere. Hanc societatem inter Occita-
 nos iam initam esse concitante Danuilla illius regionis præ-
 fecto, cuius factum Nauarræus imitari cupiebat. Societatem
 itaque cum ipso Condæo, & tot egregijs viris, qui defensio-
 nem iustissimæ causæ suscipiebant, inirent, ne præclara oc-
 casioni deesse dicerentur, & eam neglexisse aliquando pœni-
 teret. Postridie prætor & decuriones simul conuenire, statue-
 rèque, eam religionis, & libertatis defensionem cum prin-
 cipibus suscipiendam, fœdusque cum illis ineundum, non so-
 lum æquitatem ad id agendum incitare, sed necessitatem et- **C**
 tiam compellere. Volebant autem ita cum principibus age-
 gere, vt antiqua priuilegia illibata, inuiolatæque mane-
 rent: quorum præcipua sunt, vt neque præfectum, neq; præ-
 sidium inuiti recipiant, & omnis potestas gubernandæ ciui-
 tatis penes prætorem sit. Id autem magis enixè à Condæo pe-
 tebant, ne Rex à quo præsidium accipere renuerant, illis ali-
 quando obijceret, quod ipsi minus, quàm Condæo credidiss-
 sent. Decretum communi consensu bellum aduersus violato-
 res edicti, & publicæ quietis perturbatores. Nauarræus, &
 Condæus literas, & mandata ad copiarū duces misere, vt quā **D**
 ocysimè possent delectus militum, tum equitum tū peditum
 haberent, quibus conueniendi locus adsignabatur Mellæ, in
 superiori Pictonum regione. Diligenter etiam eos admonue-
 re, vt quas possent ciuitates adhibita omni celeritate occupa-
 rent. Rupellenses articulos Condæo proposuerunt, secundū
 quos recipi in fœdus, & societatem postulabant. Nemo in
 vrbe imperium haberet nisi prætor, cui potestas esset locis
 munitis quæ sunt Rupellensis præfecturæ, custodes impone-
 re. ipse iuramentum ab illis acciperet, præsidarijs stipendia
 solueret, & quæ munitionibus decissent, perficeret. Vt ijs sum-
 ptibus

*Rupellens-
 sum in fœ-
 dere articu-
 li.*

- A** ptribus Rupellenses satisfacere possent, ecclesiasticorum annuos redditus durante bello caperent, & tributum quod rusticis soluunt, atque dimidiam partem iuris Ammirantis, quod ex maritima præda capere solet. Condæus gratias egit Rupellensibus de bona ipsorum voluntate erga religionem, in qua ut constanter perseverarent enixè orabat, pollicitus se apud Nauarræum effecturum, ut omnes articulos, quos proposuerunt, approbaret, & ipsorum priuilegijs nihil derogaretur. His transactis Nortus ecclesiæ Rupellanae minister Cōdæum adiit, eumque hortatus est, ut iusta causa, cuius se protectorem gerebat, iustè, & legitimè defenderetur, licentiæque militaris cohiberetur: furta, blasphemias, scortationes inter milites, qui pro religione arma ferunt tam frequentes esse, ut non mirum sit Deum his grauiter offensum permisisse, ut varias clades acceperint. nisi respicerent nequam esse sperandum, Deum ipsorum armis, conatibus, & consilijs prosperum successum daturum. Condæum itaque, qui summus dux in exercitu tanquam Nauarræi legatus futurus esset, demisse orare, ut huic rei sollicitè prouideret. Cōdæus respondit sibi hæc præcipuè curæ fore. Ob id omnes
- C** orabat qui ipsius militiæ adscribi vellent, ut sibi proponerent honestè, & sanctè viuere, & miseram plebem non opprimere, sicuti in prioribus bellis fecerunt. decreuisse enim se agricolarum rationem habere velle, & eos ab omni iniuria tutos præstare. interesse enim rei pub. ut in suis laboribus non impediuntur. Postridie prætor vrbis Condæi rogatu ciues, qui ad arma ferenda idonei erant iustauit. (erant mille viri egregie armati in nouem cohortes distincti) eosque Condæo ipso præsentem sibi sacramentum dicere iussit, quod erat in hanc formam conceptum.

- D** *Iuro me bene ac fideliter militare velle pro defensione huius causæ pro qua arma indui, & tuitione, ac defensione ciuitatis peculiariter sub prætoris authoritate, qui summam administrationem vrbis habet, & generaliter sub auspicijs Nauarræi regis Reformatarum ecclesiarum, & Pontificiorum confæderatorum generalis protectoris, ac Condæi principis ipsius generalis legati, meq; ab hac sancta societate nunquam discessurum promitto.*

*Iuramentū
militū Ru-
pellensium.*

Lustratis ciuiū turmis Cōdæus à Rupella discessit, & Ange

liacum profectus est. Dum hæc agebantur vicecomes Roha- **A**
 nius cum magno nobilium, & aliorum militarium virorum
 numero Ligerim transijt, ad locum qui Pelerinus dicitur, mis-
 saque Rupellam vxore in Pictonibus substitit, vt suas co-
 pias in vnum colligeret. Eo etiam tempore Ciureum paruū
 oppidum in superiori Pictonum regione à Sangelasio inter-
 ceptum fuit, qui summissis aliquot scloppettarijs illud vi cē-
 pit paucis interfectis, in quibus iunior Tiffardiereus fuit :
 pōst ad castra Condæi profectus est. Sangelasius custodia op-
 di fratri Seneschalli demandata, qui illud Pontificijs statim **B**
 reddidit. Nauarræus cū audiuit Burdegaleses præsidium
 in urbem ipso inconsulto accersuisse iniquo animo tulit, &
 ad senatores Curia scripsit, hoc ad suum officium non perti-
 nere inscio prouinciæ præfecto præsidium vrbi imponere,
 præsertim cū procul ab vrbe non esset : qui si cognouisset
 urbem ad sui custodiam militib. opus habere : ipse ex officio
 ei negotio prouidisset. & quia subditorum Regis quies sibi
 præcipuè curæ erat, rogabat eos, vt sibi significarent quo tē-
 pore ingressum suum in urbem tanquam prouinciæ Aquita-
 niæ præfectus facere posset, velle rebus ciuitatis prouidere
 prout videbit opus esse, & cum tanta æquitate vt speret se o- **C**
 mnibus satisfacturum. Senatores satis acerbè respondere. se
 potuisse illo inconsulto urbem præsidio munire, necessitatē
 eos ad id coegisse, & nihil egisse sine bono consilio ipso Vil-
 larsio propræfecto, & Ammirante iubente, qui absente Na-
 uarræo authoritatem à Rege habet, res Aquitanię procuradi.
 Se admodum mirari Nauarræum tam curiosum esse in repre-
 hendendis tot præclaris viris in re non magni momenti, cū
 in alijs multis, & maioris ponderis non maximè sollicitus esse
 videatur. Factum Langoiranci, & aliorum Petrochosiorum **D**
 exemplo esse debere. nam cū Bazazum urbem occuparint,
 & magnum tormentorum apparatus fecerint ad vrbes alias
 quæ ipsius præfecturæ essent, capiendas, ab eo non fuisse re-
 prehensos. In fine literarum addebant, se nondum esse para-
 tos ad ipsum pro dignitate recipiendum, omnem autem dili-
 gentiā adhibitueros, vt omnia rectè essent disposita ante ipsius
 aduentum. Paulo ante quā Condæus Angeliacum veniret:
 nunciatum ei est, Vignam Britonem nobilem Conarnellū
 oppidum cum arce feliciter occupasse, sed nisi breui auxiliū
 ei mitteretur, egregium facinus in maximum ipsius damnum
 & de-

Burdegalen-
 sium ad Na-
 uarræi que-
 relas respo-
 sum acerbū.

- A** & dedecus verteretur. Nam cum exiguam militum manum haberet, & innumera populi multitudine vrbs cingeretur: obsidionem diu tolerare non poterat. Condæus quod locus munitissimus esset, & gerendo bello peridoneus, utpote prope mare in inferiori Britannia positus auxilium ferre decreuit, & ad hunc finem Vigeano, qui Rupellæ erat, literas misit: quibus iubebat, ut quàm primum tormentarius puluis, pileæ, & scloppetariorum valida manus Concarnellum mitterentur. De ea re peculiare etiam literas ad quosdam Nauarchos dedit, qui subsidium cum paratum esset suis nauibus deuehere promiserunt. sed cum ventus ei nauigationi aduersus esset, & nimis lentè omnia administrarentur: priusquam naues è portu Rupellensi soluerent, Concarnellum amissum esse nunciatum est. Fuit autè à Pontificijs recuperatum infideli eius, opera qui illius occupandi præcipuus author fuerat. Is cuius erat, Callebota nomine, qui occiso Quermassoneto indigena, qui claues asseruabat, portam ijs qui in castris erant aperuit. Hi urbem ingressi quos contrariæ factionis inuenerunt, interfecerunt: qui à cæde superfuere Rhedones missi, ibi ultimo supplicio affecti fuere. Tramulius præfectus sacri fœderis in Pictonibus absente Ludensi (Pictauj tunc erat) qui urbem præsidio firmandam iudicabat, ob id què certam pecuniæ summam à ciuibus postulabat, eosque Regis nomine rogabat, ut fœderis legibus, sicuti solenni iuramento promiserant, satisfacerent. Illi tergiversantes dicebant, quod fœderis leges obsignantibus adseueratum fuerat, Nauaræum illud amplexurum, & Pontificiorum partes defensurum: id falsum nunc deprehendi, quia contrarias partes tuebatur. quantum ad pecuniam, quæ ad alendum præsidium petebatur, dicebant suas res non adeo esse adstrictas, ut præsidio militari illis opus sit, nec tantas esse Reformatorum copias, ut suis solis viribus urbem defendere, & in fide, atque obedientia Regis retinere non possint. Quod autem Rex subsidium pecuniarium ab ipsis postularet, dicebant se magnis expensis ferendis non pares esse ob grauiâ damna, quæ per tot annos, quibus infœlix ciuile bellum durauerat, perpessi fuerant. Mirembellus à comitijs reuersus magnam laudem apud omnes adsequutus est, quod ecclesiarum Reformatorum causam infractò animo aduersus prouinciarum omnium delegatos defenderat, à

nemine adiutus. Huic Noxi suafu Condæus Broagium re- A
 stituit. Ibi Mirembellus aliquot dies moratus, Pontes vr-
 bem à confœderatis nuper foelici astu occupatam profectus
 est: inde cohortem vnam eduxit, quam Broagium ad augen-
 dum præsidium misit: tum Mirembellum peculiarem ha-
 bitationem se recepit. Rumor statim sparsus eum cum Lan-
 sacco priuatum colloquium habuisse, vnde nouæ diffiden-
 tiæ & suspiciones exortæ, Lansaccum apud illum procura-
 re, vt Broagium Regi diuenderet, quod non semel Rex ab
 illo postularat. His rumoribus, & suspicionibus Condæus
 credens Broagium recens redditum astu recuperare statuit, B
 ne si eò potirentur hostes communi confœderatorum Cau-
 sæ graue detrimentum adferret. Itaque Chatelusium ca-
 merarium suum eò confestim misit, ad Tribunum Nauar-
 rum, qui ibi cum sua cohorte in præsidio erat, cum ijs
 mandatis, vt Agnerreum ipsius legatum, atque signiferum,
 aliquôtque alios, qui Mirembelli rebus addictissimi iu-
 dicabantur, caperet. Paruit Condæi iussis Nauarrus, &
 prius à ciuibus, qui in statione erant armis ablatis Agner-
 reum cum suis comprehendit. Paucis post diebus Condæ-
 us cum ducentis scloppettarijs à Rupella eò venit, & libe- C
 rato Agnerreo cum ijs qui captiui eius causa detinebantur,
 Mongomerium præfectum ibi reliquit, & Nauarri cohorte
 in insulam Rhetiam misit, & conscensa naui Rupellam
 vnde venerat reuersus est: inde Angeliacum profectus, &
 postea Mellam, vbi copiarum pedestres tum equestres con-
 uenire iussæ erant. Coacto exercitu in superiorem Pictonum
 regionem versus Ligerim mouit eo consilio vt copias ad-
 augeret, & munita quædam oppida, si occasio se offerret,
 interciperet: sed Pontificijs omnibus rebus diligenter in- D
 tentis, nihil eorum, quæ sperabat efficere potuit. Cùm i-
 taque inutiles ibi moras traheret in Xanctones copias suas
 duxit. Mirembellus de Broagio sibi erepto grauiter indigna-
 tus, & iniquo animo ferens se Reformatis suspectum esse,
 quorū causam in comitijs tam fideliter defenderat: magnam
 sibi iniuriam factam conqueritur, & qua nam ratione fa-
 cinus vlisci posset apud se disquirat. Cùm graues curas
 animo volutasset, tandem decreuit, quocumque euentu,
 & periculo Broagium foedè amissum recuperare, quòd su-
 am domum, & peculiarem possessionem aiebat, & ab ea
 summa

A summa cum iniuria expulsus. Ad id autem agendum non turpe nec indecorum (iracundia iudicium præuertente) æstimauit Pontificiorum communis causæ hostium opera vti, in quæ præcipui fuere Lansaccus ipsius nepos, & Vaillacus Baro, à quibus cum aliquot turmas ex Burdegala, Blauia, & Burgo recepisset, cohortem etiam vnam ex Pontibus ubi gener ipsius tunc præfectus erat, eduxit, & cum his copijs versus Broagium mouit, quod ex improviso adoriri statuerat maximam spem in incolis repositam habens, qui ob moderatum, & lene imperium quo semper in eos vsus fuerat, fidelissimi ipsi fuere. Cum ad Causam Xanctonum pagum venisset, milites qui è Pontibus educti fuerant, audita causa illius expeditionis vltius progredi noluerunt, dicentes se aduersus Condæum non militaturos. Hoc cursum Mirembelli interruptit. Interea qui Broagij in præsidio erant, de illius consilio, atque apparatu certiores facti, statione adaucta diligentes in excubijs fuere, incolis edicentes, ne pedem è liminibus domorum ponerent. Mirembellus sua spe frustratus iter reflexit, & properanti passu, quod per exploratores intellexisset Condæum cum vniuerso exercitu non longè abesse, Mirembellum oppidum suum cum suis se recepit. Condæus à Barbezio mouens, ita illius vestigijs insistit, vt vix Mirembellus spacium habuerit pagi accessum vinarijs dolijs obiectis munire, ubi satis constanter primum Condæanorum impetum sustinuit; sed cum diu hostiū violentiæ non resistere posse cerneret: in castellum cum omnibus suis se recepit. Erant cum Mirembello, Lansacco, & Vaillaco quadringenti scloppettarij pedites, & septuaginta equites. castellum arte non admodum munitum est, sed quod in loco edito situm sit, non potest sine tormentis expugnari, si valido præsidio muniatur. Condæus tribus millibus peditum, & quingentis equitibus stipatus castellum circumdedit, & tormenta, quibus murum quateret è Rupella aduehi iussit, adeo in Mirembellum exacerbatus, vt quosdam ecclesiarum ministros pro illo deprecantes vix audire voluerit, omnes stultitiæ, & temeritatis accusans, quod Mirembellum sequuti fuissent, qui adeo sui officij oblitus fuerat, vt infensissimorū sibi & Reformatæ religioni hostium opera ad priuatā iniuriā vindicandā vteretur. debuisset religionis amore teneretur, peculiare bonū publico postponere, & ppter leue

incommodum communem causam non proderet. Mirembel- **A**
 lus his Condæi querelis respondebat, se nihil vnquam cogi-
 tasse, quòd Reformatæ religioni derogaret, nec quod iure pos-
 set reprehendi, testabaturq; eam religionē vsq; ad extremum
 halitum profiteri, & retinere velle. Se nihil contra Condæ-
 um molitum fuisse: cultum omnem, atque obsequium ei de-
 uouisse, nec quicquam cogitasse vnquam, quòd ei obsequio
 aduersaretur: apud ipsum calumnijs, & falsis delationibus à
 suis inimicis traduci, quibus audiendis plus æquo attentus
 erat, & quod ab eo bello impeteretur, id præter meritum fie-
 ri. Neminem damnare posse consilia, & rationes, quibus v- **B**
 tebatur ad recuperandum quod suum erat, & si iam spolia-
 tus vna sua domo cum æstimationis, & famæ iactura nunc
 in alia hostiliter impeteretur in periculum deuocato non so-
 lum honore, qui omnibus generosis pectoribus charus esse
 debet, sed etiam vita: in auxilium consanguineos, & amicos
 vocasset. nullius iudicium subterfugere, quòd neminem re-
 periri posse putet, qui hanc necessariam defensionem non
 excuset. Dies aliquot in ea obsidione sine re aliqua memo-
 rabili consumpti sunt, quòd Condæus duo muralia tor-
 menta, & duas colubrinas à Rupella expectaret, quæ nau- **C**
 bus imposita non tam cito vt cupiebat, aduehi potuere, quòd
 vento aduerso nautæ vterentur. Obsessi interea eruptionem
 vnâ fecerunt, in qua ex improviso obsidentes adorti ali-
 quot ex illis occiderunt, & vexillum vnum in arcem retule-
 runt. Pontificij cum maxima celeritate copias cogeant, vt
 obsessis opem ferrent. Cenomanius summus eorum dux
 Puygallardo, Ruffecco, Roccabaritaldo, & alijs multis e-
 quitibus comitatus magna adhibita celeritate Xanctium
 venit, eo proposito, vt Mirembellum obsidione liberaret. E-
 quitatu Condæo aliquanto superior erat (habebat enim sex- **D**
 centos equites, Condæus tantū quingentos) sed peditatu infe-
 rior, qui etiā pone relictus fuerat, quòd equitatū magnis pas-
 sibus antecedentē subsequi non posset. Condæus cum Ceno-
 manij copias disiunctas esse audiuit, obsidione soluta ipsi
 obuiam ire constituit eo animi decreto, vt si in patentibus
 campis se offerret, cum eo confligeret priusquam eius copiæ,
 quæ vndique adfluebant, simul coniungerentur. Ceno-
 manio autem aliena mens à dimicando fuit, qui cum Con-
 dæum obsidionem castelli soluisse comperit, Xanctij quietus
 man-

- A** mansit vitato prælio, quòd maiores copias expectaret. Condæus cum hostes mœnibus se tuentes, & in campos prodire non ausos cernit, exercitum nauibus Charentam transmittit. Maior peditum pars Marennas, & in proximas insulas missa est, cæteri cum æquitatu in præfecturam Rupellensem iuere. Hæc exercitus dissipatio Reformatis damnosissima fuit, quòd milites ab hostibus securi insolentissimi euaserint, & socijs, atque amicis grauissima damna intulerint omnes disciplina prorsus obliti, vt solent milites ad omnem nequitiam esse prompti, quum eis contingit à militiæ laboribus se recreare. Interea Pontificij liberè eam regionem percurrentes ad Xanctium, & Tailleburgum Charentam transierunt, & Sansaninianum amplissimum pagum nemine resistente cœperunt, atque diripuerunt. Thonam inde progressi & magno impetu adorti à Lucasio tribuno, qui ibi in præsidio erat, repulsi fuerunt. Tunc à Thona, Botona, & Sansaniniano vsq; ad Brisamburgum, & Cognacum dispersi sunt. Insulani subita, & inopinata Condæani exercitus dissipatione, & Pontificiorum propinquitate exterriti vxores, & pueros cū præciosiori suppellectile Rupellam miserunt, plerique etiam illorum eò se receperunt. Nauarræus interea Reolam urbem scalis admotis cœpit, opera maximè atque industria Fauaxij tribuni. Eodem cursu Marmandam obsedit, & tormentis diuerberauit, sed fortiter se defendentibus, qui in præsidio erant, obsidionem soluere coactus est. Macarij Fanum etiam irrito conatu tentatum. Tunc temporis magni apparatus Lutetiæ fiebant ad expugnandam Chariteam. Summus dux exercitus Alenconius erat. Magnam spem de præsidio Reformato omnes conceperant, quòd hostibus quanquam acerrimis diu resisteret, quòd ex nobilibus, & in armis induratis magna ex parte constaret. Illi sperantes auxilium sibi aduenturum non multum erant in munienda vrbe solliciti sicuti necessitas exposcebat, tantum ex circumiecto agro commeatus in urbem conuehebant. Ad Condæum, Rupellanos, & alios fœderatos ad petendum auxilium miserunt: qui responsum dedere, se non satis virium habere, vt alijs possent elargiri. Præterea tantam ducendis copijs inesse difficultatem propter longitudinem itineris, vt nulla spes esset aliquem mitti posse, qui suppetias obsessis ferret sine manifestissimo periculo. Alenconius maximis copijs urbem complexus eam per aliquot dies

*Mompense
rius Regi
pacem suas
det.*

obsedit. Præfidiarij autem cum ciuibus quòd multis rebus **A**
ad obsidionem tolerandam necessarijs carerent, & nullum
auxilium à suæ factionis hominibus expectarent, tolerabi-
libus conditionibus urbem deditere, quæ illis fuere ab A-
lenconio obseruata. Mompenserius, qui ad Nanarræum mis-
sus fuerat, vt illi comitiorum sanctionem declararet, & à bel-
lo gerendo pro edicti pacificatorij defensione dehortaretur,
cum Nauarræi rationes diligenter perpendisset, & de eis Re-
gem admonuisset: pacem amplectendam suadebat, & bellum
omnimodo fugiendum, quòd victoria incerta esset, & belli
pericula manifesta. Pontificios antea actis ciuilibus bellis mul-
tos labores, & ærumnas pertulisse, nō tamen assequutos quòd **B**
ab initio sperarant. Victos quidem sæpius hostes, sed non de-
bellatos. Nam licet in omnib. fermè prælijs superati fuerint,
& cum magna suorum cæde: tamen nunquā animos despon-
disse, sed rediuiua virtute arma tractantes ita se gessisse, vt vi-
ctoriam sæpius à victoribus extorserint. In has quidem an-
gustias redactos, vt tribus tantum oppidis potirentur, & in
vnius tantum Rupellæ possessione spem salutis reponerent,
debellari tamē nō potuisse, quinimo Regē ingentibus copijs
urbem terra mariq; complexum obsidionē soluere, & Reform- **C**
matis omnibus pacem dare coactum fuisse. Cum viribus ita
debilitati essent, vt arma resumere eos nunquam ausuros ad-
pareret, breui interiecto spacio terribiliores quā antea vi-
sos Pontificijs quamplurimis se illis ad gregantibus & eorū
partes tuentibus licet alia de causa ad capiēda arma moue-
rentur. Ex cladibus acceptis audaciores ipsos videri. Nam in
principio cum integræ ipsorum vires essent diu, multumque
lacefsiti, & graues iniurias perpessi vix se commouere aude-
bant, querelis, & præcibus causam suam apud Regem agen-
tes: nunc ad solam famam de ordinum consensu in abolen. **D**
do Reformatæ religionis exercitio repente arma cœpisse, à
Pontificijs cōfoederatis magis quā antea vnquam adiutos,
quorum opera, & fauore supra centum munita loca occupa-
runt. Cum mala innumera ex hoc bello euētura vniuerso re-
gno timeri possint, & Reformati nihil aliud à Rege postulēt,
quā suæ religionis exercitium, quòd edicto pacificatorio ip-
sīs concessum fuit, Regem pacē potius, quā bellū amplecti
debere. Hæc Mompenserij grauis admonitio Regem non le-
uiter mouit, qui Bironiū ad Nauarræū statim misit, vt indu-
cias

Acias in aliquot dies in spem conciliandæ pacis pacisceretur.

Condæus Subizam præteruectus venit Marennas, vbi aliquot dies moratus est Thuringiū Vicecomitē expectans, qui ex Petrochosijs aliquot militares turmas adducebat : quas cum in præsidia dispersit esset, Broagium profectus est, vbi cōscendit nauē, & Rupellam se recepit. Postridie, quo Rupellam appulit Mirembellus iunior ad eum venit à Nauairæo missus, qui declarauit inducias in quindecim dies pactas esse, quas ipse Condæus pbauit. Hæ tamē in Piætonibus, Xanctonibus, & Rupelleni præfectura nequaquā obseruatæ fuere,

B quauis pleriq; omnes opportunè, & cōmodè factas dicerent, ad auertenda mala quæ vndiq; emergebāt, & maximè ppter oppida obsessa, aut mox obsidenda, quæ multis necessitatib. prouidere poterant. Sub hæc tēpora Pontificij Mellam in Piætonibus obsederunt. Bonnetus, qui ibi cū modico præsidio erat maturè antequā in arctum redigeretur pacisci voluit, & tolerabiles conditiones, quæ ab hostib. propositæ sunt nō repudiavit, veritus ne multis difficultatib. pressus cū ad eas recurrere vellet, duriores hostes esset inuenturus. Paucis post dieb. Merpinū vetus castellū duob. à Cognaco passuum mil-

Clibus deditionē Pontificijs fecit. Præsidij præfectus, q. nimis celeriter locū hostib. tradidisset iussu Rupefocaldi Pontibus in carcerē cōiectus est. Cōdgi copię in circumuicina Rupellæ loca dispersę insolenter admodū se gerebāt, & Rupellenibus grauia damna inferebant, q. apud Condæum conquesti sunt maximam earum partem sceleratissimæ vitæ esse, & nullam religionem curare : multi tam effrenis licentiæ & barbaræ impietatis causam tribuebant dispari societati duarum religionum, quòd miscellanea illa militum turba vitia, quæ in vtraque parte erant consociarent ita, vt singuli ad quoduis

D flagitium prompti, virtuti & honestati omni bellū indixisse viderētur. Inde facilè perspicí rebus perturbatis, & deploratis aptissimū remediū malis artibus non posse parari. Primarij ciues cum ministris ecclesiarum hac de causa Condæum adire, qui eum rogarunt, vt exercitum suum vellet reformare, & auferre malum de medio eius. bellica negotia non rectè administrari absq; militari disciplina, cuius populi belli gloria illustres, & maximè Græci, & Latini in suis exercitiis præcipuam rationem habuerunt. hunc sibi bellum gerenti præcipuum scopum esse debere, vt pericula præuidere, &

conatus hostium præuerrere possit, in quibus militari disci- A
 plina maximè opus est. His Condæus respondit, se admodū
 dolere, quod illi cōquerendi occasione haberent, nihil ma-
 gis cogitare, quàm in militum flagitia grauius animadu-
 tere, & eos ad honestam disciplinam seruandam cogere. Cum
 in circumiectis vrbi locis omnia exedissent: coacti sunt præ
 inopia in inferiorem Pictorum regionem ire. Cum ibi ali-
 quandiu oberrassent omnibus molesti, & graues: ad Ollonē
 oculos conuerterunt, sperantes opimas prædas ibi agere, quod
 portus ditissimus sit ob negotiationem, quàm in Hispania,
 Flandria, & alijs maritimis locis incolæ exercent: sed præ- B
 dandi iusta occasio illis deerat, quoniam pax Ollonen-
 sibus cum Rupellanis intercedebat, & consuetum commercium
 inter ipsos exercebatur: commeatus tamē inopia, & assidue
 Rupellanorum querelæ cohortes Moyi, & Lorgij eò profi-
 cisci coegere. Erant in portu viginti quinque naues frumen-
 to onustæ in Hispaniā & Portugalliam ad primam prosperi
 venti occasionem nauigaturæ. Cum id quidam qui Rupellæ
 erant profugi rescire: naues aliquot statim militariter in-
 struxerunt, vt eam mercatorum classem simul ac in altum e-
 ducta esset inuaderent. Id sibi iure licere dicentes, quod fru- C
 mentum extra regni fines deferre regijs constitutionibus in-
 terdictum sit. Mercatores, quid contra se Rupellæ pararetur
 audientes præcipuis ciuibz Rupellanis deprecatoribus vsi
 à Condæo impetrarunt, vt in Hispaniam sine vlla remora &
 impedimento cum suis mercibus nauigare possent promissa
 prius certa pecuniæ summa, quæ ærario Causæ inferretur.
 Tempore nauigationi idoneo Ollonenses vela fecerunt, &
 quod promiserant soluere non curarunt. Quod autem paulò
 post Moyanæ, & Lorgianæ legiones eò venere, à plerisque
 creditum, Ollonenses ob nō seruata promissa damnum illud D
 sibi accersuisse. Sunt ibi duo pagi æstuario diuisi, quorum
 vni Chalma, alteri Sableum nomen est. Chalmæ castellum
 est antiquæ structuræ satis munitum aduersus copias quæ tor-
 mentorum præsidio destitutæ sunt. Illud occuparat Ballac-
 cus quidam nobilis indigena quinquaginta militibus non
 multum in armis induratis comitatus. quod speraret autem
 à Landereo, qui in propinquo erat, auxilium cum opus esset
 recipere: statuit castellum contra eas Moyi & Lorgij copias
 gnauiter defendere. Cum quatuor dies in castelli obsidione
 efflu-

Aeffluxissent, Moyus videns se nihil absque tormentis efficere posse, & si longam ibi traheret moram, periculum esse, ne à propinquis Pontificiorum copijs, in quibus nobiles illius tractus erant, inuaderetur, quibus vix resistere posset: Condæum per literas orauit, vt tormenta ad diuerberandum castellum mitteret. Hoc Rupellensibus maximè displicebat, qui vicinis, & amicis detrimētum inferri nolebant: tamen Condæus permisit, vt murale tormentum cum colubrina vna ad Moyum mitteretur præcipuè ad id incitatus, quòd pridie illius dici admonitus fuisset, legiones quæ Olonæ erant velut

Bobsessas ab hostibus esse, & inde se explicare nō posse nisi auxilium ipsis mitteretur, quoniam itinera erant à multis equitibus infesta, & per mare se recipientibus castellum multum impedimēti adferre poterat. Præterea illos à nauibus aliquot Ollonenſibus obsessos, quæ nauigia quēdā frumento onusta Rupellam nauigantia intercœperant. Instructæ itaque duæ Olcades quæ recenter ex Zelandia venerant, & aliquot celoces, ac Myoparones, quibus trecenti scloppettarij impositi sunt sed aduersante vento classis illa institutū cursum tenere non potuit, quin per quatuor dies in litore Rhetia: insulæ hærere coacta est. Interea. Ollonenſis ora à maiori nauium numero occupata fuit. In eam enim venire viginti quinque, quæ licet non essent omnes militariter instructæ: tamen Rupellana classis quæ erat exigua ad tam magnum nauium numerum stupens vltèrius progredi nō est ausa. Multi augendum classem censebant & maiores copias mittēdas, quòd cohortes ab hostibus vndique obsessæ aliter euadere non possent. Dum de ijs varia consilia agitabantur, Ollonenſes quidā primarię notæ Rupellam venere, qui Condæo libellum supplicē dedere, quo eum orabāt, vt ipsorum patriæ grauibz malis circumuentæ miseretur, & deprædationes, ac insolentias militum compesceret, nauales copias, quæ subsidio terrestribus mittebantur reuocaret. Ijs nullo modò opus esse, quoniam ij, qui in castello Chalmæ erāt, quicquid iuberet, facerent, & se ipsius arbitrio committerent. se huius rei expromissores reddere, & præsidium ad deditionem faciendam se adducturos, polliceri, simul etiam cohortes, quæ castellum obsidebant, mari ducere quocumque Condæus iuberet. Prætor Rupellens, & primarijs ciuibz, qui vicinis gratificari cupiebant intercedentibus, Condæus Ollonenſium postulatis assensit,

& postridie naues, quæ subsidio obsidentibus castellum mitebantur reuocauit, Obsessi non expectato Ollonensium reditu iam cum Moyo conuenerant, vt persolutis pro redemptione decem librarum millibus castellum in ipsorum custodia relinqueretur, ea conditione, vt in hoc bello neutrarum partium esset, & neque Pontificijs, neque Reformatis vllum detrimentum inferret. Moyani maiori ex parte naues conscendere, tres cohortes terrestri itinere redire maluere, quàm mari se committere. Eo fermè tempore magna inter ciues Rupellanos in electione prætoris dissensio fuit, Condæo & nobilibus Gargouillæo fauentibus, turba ciuium Bobinellum fouente. Quo propensior autem Condæus in illum erat hūc populus magis exposcebat. Ideo autem nobilibus aduersabatur, quòd rumor per urbem spargeretur illos Condæi fauore fretos prætorem suæ factionis eligere velle, vt eius opera antiqua ciuitatis priuilegia, & statuta abolerentur. Postquam Condæus diu de hoc negotio cum ciuibus deliberasset: tandem consensere, vt si Gargouilleus vnus esset ex tribus qui nominarentur: ipse prætor crearetur, etiam si suffragijs ab alijs vinceretur. Id lubentius ciues Condæo concessere, quòd præfecti regij authoritati debeatur ex tribus qui nominantur prætorem, quem maximè probauerit, constituere. Condæo etiam concessum vt nouo prætori duodecim ex decurionibus vrbs conciliarios daret, sine quibus nihil in rebus extra ordinarijs decernere posset. Cum eligendus fuit prætor, Gargouilleus quem fouebat nobilitas non fuit nominatus, & Bobinellus competitores suos quatuor suffragijs superauit, qui à Condæo fuit confirmatus, quòd Condæi iudicium vniuersæ plebi gratissimum fuit. Cœnomanius simulata Puteuillæ obsidione, quæ ab Engolismo quatuordecim passuum millibus distat, ad fanum Iuliani propè Angeliacum cum suis copijs venit. Per quatuor dies leuissima prælia crebra conferta sunt Pontificijs vsque ad suburbiorum aditum venientibus, & erumpente in eos præsidio, in quibus maius damnum Pontificiorum fuit. Cœnomanius relicto Angeliaco ad Thonam copias duxit nullo caduceatore præmisso, qui de more portas sibi aperiri postularet, quòd locum non satis munitum iudicaret, vt regium exercitum sustinere posset. Nulla itaque denunciatione facta septem tormenta promouit & duas colubrinas, quibus

*Dissidium
Rupellæ de
prætoris eli
gendo.*

- A**bus acriter mœnia diuerberauit Lucassius tribunus ibi cum centum viginti scloppettarijs erat, qui cum imparem se oppugnationi sustinendæ videt desertæ inferiori vrbe in arcem & superius oppidum cum suis serecepit. Pro-latis tormentis mœnia lato hiatu prostrata sunt. Oppu-gnatio statim instituta, in qua cum obsessi nullam stre-nuam operam præstarent, Pontificij ingenti cæde edita vrbe, & arce sine magna suorum iactura potiti sunt. Lu-cassius fune per fenestram demisso in contiguum pratum euasit existimans eò perueniret ab hostibus est retractus, &
- B**sed antequam eò perueniret ab hostibus est retractus, & Cœnomanio traditus. Cum autem huius iram timeret, fugere quocúmque periculo statuit sed per sequentibus ho-stibus in ipsa fuga trucidatus est. Maior præsidij pars in oppugnatione periit, qui cædem effugere, captiui facti sunt. Eo die Stroza cum quibusdam cohortibus in castra ve-nit. Condæus audita Thonæ expugnatione ad Cœnoma-nium tubicinem misit rogans, vt quos habebat captiuos humaniter tractaret. Respondit, illos humanitate indignos æstimare, & quia Regis eiusque subditorum loca munita oc-cuparant, nullam sibi iniuriam fieri putarent, si in manus magistratus traderentur, vt pro ratione admissi criminis in ipsos animaduerneret. Sed sententiam postea mutauit à qui-busdam suorum admonitus, vt consyderaret quàm anceps, & incerta belli conditio esset. Si nimis seuerè in Refor-matōs captiuos ageret: paria suis cum caperentur repen-furos esse. Præterea humanitatis officium esse nos mutuò inuitare ad mitius agendum cum afflictis. Qui Rupe-forti erant priusquam exploratum haberem Thonam vi-captam esse: arcem deseruere, quàm præsidio vacuam
- D**Pontificij statim occuparunt, vnde Reformatis postea quam-plurimum damni attulerunt. Tunc magna rerum com-mutatio facta Reformatorum copix, quæ paulò antè Cœ-nomanij Xandij mœnibus se tuentem ad pugnam pro-uocarant, de victoria desperantes passim dilabebantur, *Cœnomanij* & plerique ad Pontificios deficiebant: maximè qui Ma- *victorie.* ranlij, & Broagij in præsidio erant, omnibus ad fœli-cem victoriarum cursum Cœnomanij attonitis qui ad pri-mum conspectum fugatis hostibus in quinque dierum spacio omnes vrbes, & arces, quæ ad Charentam fluuium

sunt nullo damno accepto in potestatem suam redegerat. A
 Insulani Rupellam in dies cum vxoribus & liberis conflue-
 bant, non tam ob metum Pontificiorum (vt ipsi dicebant) à
 quibus, vt nimis propinqui grauissima damna expectabāt,
 quam ob immanitatem militum, qui ad Broagianum præfe-
 ctum attingebant, à quibus quotidiana detrimenta recipiebāt,
 nec mitius cum illis agebant Lorgianæ cohortes, quæ Ma-
 rennis erant. Nam rapinis deprædationibus, stupris & rapti-
 bus deditæ, passim suæ seuitiæ & libidinis vestigia relinque-
 bant, de harum copiarum truculentia atque insolentia quo-
 tidie ad Condem querelæ deferebantur, quibus adeo com- B
 motus fuit, vt nisi ventus obstitisset conscensa naue eò pro-
 fectus fuisset ad tollendum è medio eiusmodi portenta, quæ
 præfectorum, & ducum imperia negligentia omni flagitio-
 rum genere se polluebant. Insulanorum autem præcipuos
 Condem ad se vocauit, illisque declarauit Pontificios hostes
 in insulas bellum transferre decreuisse iam paratam Burde-
 galæ classem, se de ea re cum Rupellensibus deliberasse, qui
 promiserant se nullis sumptibus parcituros, vt eam tempe-
 statem ab illa ora auerterent, ipsos in ea causa segniores esse
 non debere, sed si qua religionis, patriæ vxorum, & libero- C
 rum cura tangerentur, omnem diligentiam adhibere, vt ho-
 stium conatus præuenterentur. Si pro viribus adnitantur
 prosperum successum sperandum, non enim Rupellenses
 tantum periculorum socios habituros, sed multos etiam
 nobiles, qui quòd magnum momentum in insularum de-
 fensione positum intelligenrēt, omnem operam polliciti fue-
 rant. Insulani omnes vires, & consilia se ad id bellum colla-
 tuos dixerunt, & vltro farinas carnes, & alios commeatus,
 ac munitiones ad classem necessarias se daturos promiserunt,
 tanta animorum promptitudine, & alacritate, vt Rupellen- D
 ses ad accelerandum negotium sollicitarent. Hi in prætorio
 ciuitatis congregati, vt de huius belli summa disceptarent,
 statuere oram maritimam esse tuendam, & ad eam rem nul-
 lis sumptibus parcendum, nullósque labores fugiendos.
 Interea dum illi negotio consultius prouideretur ex omni-
 bus ciuibz centum esse deligendos, qui eo ipso die singu-
 li centum coronatos mutuo darent, vt quam ocissimè vi-
 ginti naues instruerentur, & viginti nauarchi, qui eas re-
 gerent, & militibus imperarent, eligerentur; & præfectus,
 qui

- A qui toti classi præesset. Olcades quæ erant in Broagij statione retinerentur, ut quæ bello aptiores essent, militari-
ter cum opus esset instrui possent. Iam Noælleum sex à Ru-
pella passuum millibus Cénomanius peruenerat, cum ma-
gnis equitum, & peditum copijs, ut Maransium inuaderet.
Satis enim intelligebat, si capi posset, Rupellensibus propter
commeatum subuectiones maximè nociturum. Præerat ibi
Popelinierus cum ducentis peditibus scloppettarijs, & e-
quitibus sexaginta. Cum primum eò venerat aditus magna
diligentia præseperat impositis ibi expeditissimis scloppet-
tarijs, mœnia castelli atque interiora repararat, fossam ex-
purgarat, & profundiorē fecerat, nihilque omiserat, quod
ad loci defensionem pertinere arbitraretur. Tanta autem di-
ligentia in omni suo munere usus, ut trium mensium spacio,
quo ibi fuit, omnes Fonteneensium, & aliorum vicinorum
insidias declinarit, & consilia, atque conatus præuerterit. At
cum Thonam à Cenomanio expugnatam audiuit, & exercitū
ad se oppugnandum venturum, Condæum, & prætorem Ru-
pellensem de suis promissis admonuit. Promiserant illi cum
Maransij custodiam susceperat, si ab hostili exercitu inuade-
retur, se milites & commeatus missuros. Condæus itaq; du-
centos scloppettarios, aliquot nobiles, & commeatus ad eum
misit. His Popelinierus insulam cum pago asseruandam de-
dit, reuocatis suis qui aditus custodiebant, quibus noui mi-
lites impositi sunt. sed cum licentiæ cui erant assueti obliui-
sci non possent, nec disciplinam ullam pati, redire Rupellam
decreuere. Iam Popelinierus omnem bellicum apparatus,
qui è Rupella missus fuerat, receperat atque in castellum im-
portari iusserat, quod videret eos, qui in subsidium missi fue-
rant iam iam consensuros equos, ut Rupellam remearent.
- D Cum autem grauiter conqueretur se deserere, & constanter ad-
seueraret, Rupellenses redeuntibus portas oclusuros: illi
bellicum apparatus repetierunt polliciti se officio satisfac-
turos. Dum in his deliberationibus, & consilijs erant occu-
pati Cenomanius cum suis copijs aduenit, qui cum omnes a-
ditus à Reformatis diligenter custodiri videt: paludum pro-
funditatem iubet explorari, ubi tres ex ipsius militib. capti
fuere, qui ad Popelinierum adducti adseuerarunt commea-
tus, qui in castris erant, vix in quindecim dies suffecturos. Cū
aditum per paludes sibi non dari Cenomanius nouit: Pon-

tem non longè à cespitio propugnaculo fabricari iussit, **A**
 per quem in pratum copias transmitteret. Popelinieriani è
 regione pontis munitiones erexere ita inter se coniunctas
 ut milites vltro citroque commeari, & sese mutuo iuuare
 potuissent. Harum munitionum obiectu Popelinierius spe-
 rabat hostes posse diu ab accessu in pratum prohiberi, etiam
 post pontem absolutum, & præsidio firmatum. Sed vix ad
 decem pedes in paludem pons processerat, cum cohortes, quæ
 munitiones custodiebant, & quæ his opem ferre si ab hoste
 premerentur debebant, tanquam panico terrore actæ pro-
 pere abeundum esse dixerunt, locum defendi non posse o- **B**
 mnes adseuerantes. Popelinierius hac militum consterna-
 tione valde attonitus circumcursare, eos prehendere, obte-
 stari, ut saltem primum hostium impetum sustinerant, ne
 ignavia, & metu diffugisse, & turpiter stationem deseruisse
 dicerentur. Metuendum illis non esse ne hostium multitu-
 dine circumuenirentur quoniam propter loci angustias o-
 mnes simul pugnam capessere non possent. Et si verò ijs ra-
 tionibus à nemine contradiceretur: vincentibus tamen suf-
 fragijs decretum nisi supplementum à Condæo intra vigin-
 ti quatuor horarum spacium mitteretur: Rupellam statim **C**
 redeundum. Adeo omnes erant perterriti, ut hostis conspe-
 ctum ferre non possent. Popelinierius in præcipua statio-
 ne viginti militibus relictis ex ijs quos secum adduxerat cæ-
 teros in vnum conuocauit, quos per duas fermè horas va-
 rijs adductis rationibus hortatus est, ut cum ipso castelli de-
 fensionem susciperent. Milites responderunt, se ea condi-
 tione cum eo velle manere & castellum aduersus omnem vim
 defendere, si nobiles manerent. Reuersus ad stationes. ut quid
 facere decreuissent, qui in insula erant cognosceret, circa
 tertiam noctis vigiliam admonitus est, omnes equites e- **D**
 quos conscendisse, viarum aditus à custodibus desertos, pe-
 dites iam ex insula excedere. Misit propere ad eos aditus, qui
 à suis militibus defendebantur, ut eos in arcem reuocaret sed
 nulla ratione adduci potuere, ut paterentur se includi, quin
 omnes eam deferendam clamarunt, quòd vim tormentorum
 ferre non posset. Cum omnes militiam detrectare videt, a-
 liorum consilium sequi coactus est. Itaque summo mane
 milites omnes (prius incenso puluere tormentario, & alio
 bellico apparatu) è Maransio exiere, (erant tum pedites
 tum

- A** tum equites circiter quadringenti quinquaginta) & Rupellam contendere. Rupellenses tam inopinato casu attoniti, & supra modum indignati, quod graues expensas inutiliter fecissent: omnibus, qui rediere portas occludere turpem ignauiam illis obijcientes, solum Popelinierum intromisere. Is ad Condæum admissus rem omnem sicuti acciderat, narrauit. se inuito & contradicente tribunos, & nobiles deserendum Maransum statuisse, & nullum consilium neque admonitionem ab illo recipere voluisse, suos milites illorum exemplo fugam adornasse, neque vlllo imperio retineri potuisse. Idem etiam prætori vrbs declarauit, per se non fuisse quo minus suas vires cum hoste experiretur, ab omnibus desertum & fermè proditum fuisse qui ipso inscio iter Rupellam versus arripuerant. Hæc fidelis Popelinieri narratio magnam inuidiam, & odium eorum, qui erant in culpa aduersus ipsum concitauit, ita vt magnum vitæ discrimen adierit insidiantibus illi tribunis, & nobilibus quos accusarat, qui iudicabant non aliter se ignauix notam effugere posse, nisi viri fortis, & militare decus vera virtute tuentis nefaria cæde perpetrata. Res verò in apertam seditionem venisset, & cum manifesto inimicorum eius periculo, quod omnes ciues atque profugi ei adhærent: nisi Condæus huic rixæ se medium interposuisset, qui dicebat vtramque partem ex suis domesticis esse pollicitus prætori eum vindicare velle cui factam esse iniuriam deprehenderet. Ciues conuocato consilio quid in tanta rerum confusione ipsis agendum esset deliberarunt, prætor breui oratione ostendente, ciues omnes urgente necessitate compelli, vt rebus suis diligenter prouiderent, se iam terra esse obsessos Charenta fluuiò, & Maransio ab hoste occupatis, vnde cibaria aduehebantur in urbem, Lansaccum iam conscendisse classem, & cum ea ad hostium Garumnæ peruenisse: maturè ipsius conatibus obuiam eundum alias urbem breui ad commeatus inopiam redactam iri. Nam si portus aditus & vicinæ insulæ semel ab hostibus occupentur: nullas naues ad urbem adcedere posse. Ita vndique terra marique ab hostibus circumfessi manus dare cogentur. Proinde si qua cura ciuitatis, vitæ, & bonorum eos tangeret operam omnem adhibere debere, vt oræ maritimæ possessionem retinere possent. Communibus suffragijs

decretum, vt Olcades, quæ in Broagiana statione erant, quâ A
celerrimè instruerentur, quibus mediocres, & parvæ naues
adderentur. interea dum celsiores aliquot parare liceret, & pe-
cuniæ summa, quam centum locupletissimi ciues promise-
rant, in educenda classe insumeretur, donec maior summa à
singulis ciuibus mutui nomine, aut alia ratione exigeretur. I-
tem pedites, qui Maransio venerant non intromitterentur
in urbem, sed statim naues conscenderent. Cenomanius cum
rescivisset illos, qui Maransium deseruerant à Rupellensib.
vrbe exclusos, & dispersos in circumvicinis pagis vagari im-
paratos, & incompósitos adoriri statuit. Itaque de tertia no-
ctis vigilia assumptis peditum, & equitum promptissimis B
cum duobus tormentis iter, quod Rupellam ducit ingredi-
tur, & sub diluculum in conspectum vrbis deuenit, quin-
gentisque ab ea passibus suos in aciem produxit. Erat ibi
domus munitissima, quam triginta milites defendendam
susceperant eo confidentius, quòd auxilium ex vrbe sibi
obuenturum putarent, & non vniuersas Cenomanij copi-
as, sed antecursores tantum aduenisse crederent absque villo
tormentorum subsidio. Audacter itaque in eos, qui propi-
us accesserant displodentes quosdam notæ virtutis equites C
occidere. sed cum hostes tormenta producere vident, pacti
vitæ incolumitatem deditiōem fecerunt. Sed conditiones
illis obseruatæ non fuerunt quandoquidem dum exhibant à
nobilibus de nece suorum iratis octodecim eorum interfe-
cti sunt, cæteri à Strozza, & ducibus, qui cum eo erant æ-
grè seruati sunt. Erupere ex vrbe tribuni aliquot cum valida
scloppettariorum manu, qui dumeris, & sepibus protecti
Pontificios intrepidè adorti sunt, ex quibus equites quatu-
or, viginti pedites occidere. Adparebat Pontificios grauius
damnum accepturos, si maior militum numerus ex vrbe exi-
isset: sed talis erat inter Rupellenses voluntatum distractio, D
vt nec nobiles plebi, nec plebs nobilibus confideret: ita pau-
ci erant, qui portas egredi auderent. Nobiles timebant ne
sibi egressus portæ à ciuibus occluderentur: ciues ne si ex-
iissent, nobiles in vrbe manentes totam vrbis administratio-
nem exclusis incolis assumerent. Durauit tumultuaria pugna
per tres horas leui damno vtrinque accepto, quoniam Pon-
tificiorum scloppettarij extra præsidium suorum equitum
(stipabant hi ab vtroque latere peditum suorum phalangem)
pro-

*Nobiliū et
plebis dissis-
dium Ru-
pellæ.*

- A** procedere nolebant, & Reformati extra munitiones exire quas inter se pes vinarijs dolijs obiectis erexerant. Durante pugna Cenomanius tibicinem ad Condæum misit, petens ut exire portas vellet, & cum ipso lanceam procurrentibus equis aduerso pectore frangere. Responsum Condæi fuit Cenomanium debuisse à Xanthio exire si tantopere vires cum ipso experiri cuperet. Se illum per octo integros dies in patentibus campis expectasse, & foras prodire non fuisse ausum. Cenomanius non parum gloriæ sibi tribuens, quod in conspectu superbæ vrbs explicata acie hostibus pugnae potestatem fecisset, qui Martis aliam experiri non fuerant ausi, ne inutiles ibi moras traheret suos vnde venerat reduxit & Maransio præsidio firmato in Pictones abiit, ut exercitum à labore recrearet, recentique milite firmaret. Pontificiorum consilium erat totam belli molem in Rupellam conuertere, non quod eam circumuallare, & ex propinquo oppugnare vellent, sed dispositis in circuitu præsidijs commeatus ab ea intercludere, ut fame domita victorum arbitrio se dedere cogeretur. Et quoniam insulæ & Broagium tantum restabant, vnde commeatus peti possent: illud obsidere terra, marique decreuerunt.
- C**re: eo expugnato insulas in potestatem redigere: tum Rupellam longa & continua obsidione premere: hanc expugnandi rationem tutiorem iudicantes, quam si urbem circumuallarent, & mœnia vehementissimè oppugnarent. Ad hunc finem Lansacco negotium datum, ut classem pararet ad oram Rupellæ proximam cum insulis occupandam, & diligenter cauere, ne commeatus in urbem deferrentur. Is educatis in altum sexaginta nauibus, quæ mercibus onustæ erant oram legens versus portum Rupellensem cursum tenuit. Rupellenses conspecta hostili classe certatim naues conscendunt tanta adhibita diligentia, ut intra horam sex naues fuerint epibatis & nautis instructæ. Hæ non expectatis olcadibus, & alijs celis nauibus, quæ tam cito adornari non poterant, inflatis velis ad hostes contenderunt, quos per duas horas acriter tormentis oppugnarunt, quasi eos ad pugnam elicere vellent. Lansaccus, quod nox appeteret, & olcades, aliasque naues, quæ ad portus aditum in anchoris stabant omnibus rebus instructissimas putaret, & contracto certamine suis adfuturas, à pugna abstinere constituit, & retrocedens mille passibus à Rupellensium classe iactis anchoris substitit. Rupel-

*Pontificiorum
consiliū de
obsidenda
Rupella.*

Rupellenses ad suas nauēs quæ in anchoris erant, & propius A
littus, quam potuere se recipere, vt milites & tormenta in sup
plementum nauium ab vrbe reciperent. Classis Lansacci
duodecim onerariarum nauium & sex actuariarum erat. Ru
pellenſium ex quatuor olcadibus Germanicis, & decē Galli
cis nauibus constabat. Clarmontius eius præfectus consti
tutus est, qui ea nocte ad classem venit cum magno numero
militum, adeo vt in illis quatuordecim nauibus supra mil
le & sexcentos homines tunc fuisse diceretur. Poſtridie manē
Lansaccus è sua classe quinque naues delegit, quas inter Rhe
thiam insulam, & Rupellam anchoras iacere iussit, vt ipsi, B
qui in insulam trajcere vellent iter præcluderent, quam ipse
adoriri decreuerat. Sed in eam opportunè missus fuerat.
Morinuilla cum Chartressi & Nauarri cohortibus, & alijs
aliquot militibus, qui voluntariè militabant. Hi cum insu
lanis ad muniendum aditus & loca ad descensiones facien
das idonea omnem operam, atque diligentiam adhibuerant,
ita vt non magnoperè Lansacci classem metuerent. Illa ex
pansis velis oram quæ Palissa vocatur legens, è regione Re
thienſis cœnobij anchoras iecit. Dum ibi erat aliquot ce
loces Maransium, & ad oram Pictonum misit, vt vbi nam C
locorum Cenomanij exercitus esset cognosceret, vt ab eo
aliquot cohortes in supplementum reciperet, quòd illi dum
classem parabat promissum fuerat: sed Cenomanius iam
Mellam, & Chizam superioris Pictonum regionis vrbes
peruenerat, suasque copias in circumuicina loca disparti
tus fuerat, vt se à militiæ laboribus recrearent, interea dum
ipse nouum mandatum à Rege acciperet. Itaque Lansaccus
sua spe frustratus ex illis litoreis locis nullum militum
supplementum, sed tantum recentes commeatus recepit,
qui in mioparonibus ad eum deuehebantur: quorum v
nus à celocē Rhetienſi inspectante tota classe captus est. D
Interea insulani per præconem denunciãuit, vt seipsum
præfectum à Rege missum reciperent, si pertinaciter eius
mandata abnuerent: fore vt intra paucos dies ignomini
am cum summo detrimento reciperent stultè eos in Ru
pellenſium tutela fiduciam collocare. Hos enim tantas
vires non habere, vt insulanos à regia classe protegere, &
defendere possint. Ideo si saluti suæ prospicere, & in
Regis gratiam redire vellent, ipsius monitis obtempera
rent.

- A** rent. Hæc denunciatio non in insula, sed procul à terra facta, quòd Lansacci mioparones, & scaphæ ad littus appellere non poterant propter glandium procellam, quæ continenter in eas à scloppetarijs, qui in littore erant effundebatur. Varia interea consilia Rupellæ & in classe agitabantur, quid potissimum in tam difficili negotio agendum videretur. Varijs dictis sententijs consultissimum visum, ut ipsorum classis quocumque periculo & euentu cum Lansacci classe confligeret. rem ad prælium deo-
- B** candam priusquam Lansaccus militum supplementum à Cenomanio accipiat, & triremes ei coniungantur. Facilius ei classem augere, quam Rupellensibus, quod auctoritate Regis nitatur. Non solum triremes expectare, sed & celsam nauim mille ducentorum Culleorum capacem, quæ in Cantabriæ ora parabatur. Lansaccus quòd in Rethiam descensionem facere non posset, nec cum Rupellensium classe configere auderet, quòd illa potentior indies fieret: in pacatum se recipere decreuit. Sublatis itaque anchoris versus Rupellæ portum velificauit prius aliquot mioparonibus, atque celocibus ad Rethiam missis, qui littori adeo appropinquarent, ut classarij & insulani sese mutuo exaudirent. Cùm autem descensionem in littus facere tentarent: à scloppetarijs qui in littore erant, repulsi sunt, & ad cæteram classem se recipere coacti. Tunc Lansaccus iunctis omnibus nauibus versus Garumnam cursum tenuit. Rupellenses eum statim insequuti sunt, cum eo configere maximè cupientes, sed cum vento secundo vteretur, nullum à persequentibus detrimentum accepit. Olcades enim, quæ robur erant Rupellænæ classis illius cursum adsequi non potuere. Cùm vero ad prælium cogi non posset: Claromontius cùm ad ostium Garumnæ peruenit insequendi finem fecit, & ad oram Rupellensem cum sua classe se recepit, id facere compulsus, quod commeatus qui in nauibus erant in paucos dies suffecturi essent. Arnaldus Nauarchus cum peculiari sua nauis, & aliquot mioparonibus à Condæo paulo post in Garumnam missus est, ut quid Pontificiorum classis faceret, cognosceret. Id munus autem eo lubentius suscepit, quod cum naue vna Lansacci, quæ in ostio fluminis erat configere

cuperet. Eò cùm peruenit, duos hostium mioparones na- A
 ctus est, qui ab illo se explicantes ad tres Lansacci naues,
 quæ ante Royanum in anchoris stabant, in quæis erat præto-
 ria, accessere, & eas de aduentu Arnaldi certiores fecere. Ar-
 naldus quamuis numero impar, illas est adortus, sed congres-
 sum eis vitantibus tormentis tantùm certatum est nulla re me-
 morabili gesta. Pontificij ad Talemondum se recepere, Ar-
 naldus ad Royanum amisso Mioparone vno magistri culpa,
 qui ad hostes defecit. Royanum oppidulum est ad Garumnâ
 natura, & situ munitum, quòd vetus castellum in rupe habet
 diligentia, & opera Sangeoni illius præfecti egregiè repara- B
 tum & velut de nouo conditum. In prioribus bellis pericu-
 losam nauigationem in Garumna Pontificijs reddiderat, &
 tunc satis firmum & munitum putabatur ad vim iusti exer-
 citus sustinendam. Cùm Cenomanius autem in Xanctonibus
 esset: aliquot turmæ tum pedestres, tum equestres vsque ad
 oppidi portas excurrerant, vt præsidium ad pugnam elice-
 rent, sed à Sangeono alacriter erumpente cum suo damno
 fuere repulsæ. Interiectis aliquot diebus Rupellensibus nun-
 ciatum, Lansaccum paratum habere classem, & Cantabricam
 nauem, quæ illi prætoria esset, tantùm expectare, vt in altum C
 prouheretur, & triremibus, quæ prope Nannetes in Lige-
 ris ostio erant, omnibus rebus instructissimæ se coniunge-
 ret. Post varias deliberationes inter ciues decretum nauali
 prælio cum hoste quamprimum decertandum, & priusquam
 triremes recipiat adoriendum, commodius fieri non posse
 quàm in ipsa Garumna, ideo maturandum in educenda clas-
 se. quòd si ipse certamen detrectet, & vsque ad Blauiam aut a-
 lium fluminis locum se demittat: tunc æquiori conditione i-
 psos bellum gesturos, quòd fluminis ostium in potestate ha-
 bituri sint, & Aluertus, atque Olero insulæ pone relictæ pro D
 præsidij futuræ. Condæus in prætorio conuocatis ciuibz
 declarauit, necessitatem educendæ classis adeo urgere, vt o-
 mnis deliberatio inutilis videatur: industria, labore,
 promptitudine, festinatione opus esse. Tanto eo lubentius,
 & alacrius ad communem causam (quæ ipsis propter
 propinquitatem periculi propria esse videbatur) sedulam
 operam nauare debere, quòd nobiles eos ad id agendum
 extimularent, qui promittebant se in eo negotio nec bo-
 nis, nec vitæ parafuros. Prætor suos conciuces hortatus est,
 vt bo-

- A vt bonam spem conciperent, & ne ob præsentēs rerum difficultates animis frangerentur. Ad vitanda quæ impendebant pericula totis viribus annitendum esse, & ad naues instruendas nullis sumptibus parcendum. rem inceleritate positam videri cum hostiū classis sit propediem in proximam oram ventura. varijs dictis sententijs statutum est, vt triginta milia librarum à ciuibus exigenterentur, & ab insulanis ea summa, quàm commodè soluere possent. Rupellenses septem naues instruerent, insulani quinque. Et quoniam tam exiguus nauium numerus regiæ classis quæ quotidie augeri poterat diu vim sustinere posse non videbatur: delegati quidam in Hollandiam, & Zelandiam ad Aurantium principem, & Status mitterentur, qui ab ipsis impetrarent maiores aliquot naues militariter instructas, & nauigia humilia lata carina, quæ, quod profunda aqua non indigeant in fluminibus & in mari propè littus tuto, ac commodè nauigare possunt. Ijs delegatis potestas daretur, omnes vrbs incolæ vsque ad certam pecuniæ summam obligare, præterea merces ipsi ferrent, quarum præcio pro occasione in commodum publicum vterentur: similiter earum quas Mildeburgi nonnulli ciues habebant. Paulo antè Condæus vnum ex æconomis suis in Hollandiam miserat propter priuata sua negotia, cui etiam præceperat, vt in Angliam traiceret, & pecuniā alicunde (si fieri posset) confœderatorum omnium nomine mutuo acciperet. Nunciatum tunc Condæo est, Cœnomanium Broagium obsidere decreuisse. Eò antequam obsideretur proficisci voluit, quòd omnia in vrbe cōfusa, & perturbata audiret. cuius rei præcipua causa hæc adsignabatur, quòd omnes incolæ iniquo animo ferrent Mirembellum dominū suum, quem vnicè diligebant, insidijs inimicorum cum ignominia è sua domo eiectum esse. Hac de causa Mongomerio, quem Condæus præfectum loci constituerat grauatè parebant. Alia etiam causa ad cedebat, quòd magna inter Mongomerium, & eius legatum Māducagium dissensio intercedebat. Hic Broagianis, & vicinis acceptior erat, qui vt pro Mongomerio ipsis præficeretur Condæum rogant. Commeatus aliarumq; rerum ad obsidionem tolerandam necessariarum non magna ibi copia erat, & omnia in circumuicina regione exesa, & cōsumpta à cohortibus Mongomerianis, quæ ibi diu fuerant. Condæus, cōstituto præfecto Broagij, vt incolarum petitio-

ni satisfaceret Manducagio præsidium adauxit quatuor co-
 hortibus, & admonitis incolis vt in defendenda vrbe fortem
 præstarent operam, Rupellam reuersus est. Non multis inter-
 iectis diebus Cænomanus cum suis copijs ad obsidendum
 Broagium aduenit, & maximam copiarum partem in pago
 yerso quingentis passibus, ab vrbe collocauit. Statim notæ
 audaciæ aliquot milites ad antemurale vsque processere, sed
 erumpente in eos præsidio ad proximam syluam repulsi sunt.
 Qui eruperant Molendinum quod inter syluam & urbem in-
 teriacet occuparunt, circa quod magna celeritate & diligen-
 tia fossa ab eis perducta, vt illud commodius cōtra hostium
 impetum defenderent: indēque non discedere decreuere, ni-
 si summa vi pellerentur. Quotidiana autem certamina tan-
 quam militaria exercitia inter eos, & Pontificios, qui in sylua
 erant propter propinquitatem locorum serebantur. Quam-
 diu autem mare obsessum non fuit singulis diebus cibaria ex
 Rupella, & Olerone obsessis adferebantur, sed non in magna
 copia quod paucis tantum lembis eò nauigarent, & summa
 negligentia, & incuria Reformatorum in hoc conspicitur,
 quod mensis vnus spacio, quo libero mari utebantur, com-
 meatu, & rebus alijs necessarijs suos obsessos iuuare non cu-
 rarint: & cum vndique terra, marique oppidum copijs cin-
 ctum fuit, per mediam hostilem classem periculosè audentes
 penetrare conati sunt, quod antè eius aduentum citra pericu-
 lum fieri poterat. Cum sex dies antè Broagium in continuis
 velitationibus consumpti essent, Pontificij tormenta contra
 molendinum produxere, in quod cum maiores aliquot pilas
 euibrassent custodes se diutius retinere non posse ratī in vr-
 bem se recipere decreuere, sed pauci incolumes eò peruenere.
 Nam per paludes progressi hostes eos qui se recipiebant an-
 teuertentes intra Molendinum, & oppidum se insinuabant, D
 ira, vt pauci ex illis incolumes euaserint alijs trucidatis, aut
 captis. Id idēo facilius fiebat, quod Pontificij tenebris noctis
 tuti ab ijs, qui in mœnibus erant, non conspicerentur, & qui
 fugiebant suos in auxilium venire putarent. Eadem nocte a-
 liquot mioparones, & lembi Rupellenses in Charentam flu-
 uium non longè à Subiza intrarunt, ibique naues quasdam
 vario com meatu, qui in castra deferabatur onustas demerse-
 re. Pontificij molendino occupato fossas ducere ad vrbis
 mœnia & pluteos erigere cœperunt quo tormenta promo-
 uerent.

- A uerent. Et quia porta, & antemurale non erant aggere munita: obsessi ne graue aliquod detrimentum ibi caperent: extans propugnaculum in exteriori labro fossæ magna celeritate erexere. Interea quinque regiæ triremes, quæ propè Nannetes in Ligeri instructæ fuerant, in mare uenere, & inter Rupellam, & Rhetiam cursum tenentes uersus Garumnam, ut cæteræ classi se coniungerent, nauigabant, cum Ruppellensibus eas conspectas fuisse nunciatum est. Tunc classis summa industria & celeritate in altum educta Condæo prætoriam cum multis nobilibus conscendit. Erat classis duodecim magnarum nauium, quibus adiuncti erant aliquot celoces, & mioparones, tormentis, epibatæ, & peritis nautis optimè instructa. Cum propè Broagium uenit, ibi anchoras iecit, ut obsessis animi adderentur spe uenturi auxiliij, & hostibus prælij metus incuteretur. Sed hæc uirium uana ostentatio maximum detrimentum nauigationi attulit. Nam cum eo consilio classis ad Garumnam nauigaret, ut cum Lansacco antequam vires suas omnes coniunxisset conflingeret, aut saltem prætoriam eius nauem, quæ ex Cantabrico mari ueniebat, interciperet, priusquam ostium Garumnæ ingrederetur: dum inutilem moram propè Broagium trahit, prætoria illa flumen sine ullo impedimento ingressa Lansacco se coniunxit, ita irriti conatus Reformatorum fuere. Condæus dolore irritæ spei, & uelut male defuturo præfagiendo quod omnia rectè prouisa, & prudenter deliberata successu carerent: deserta classe in terram descendit. Clarmontius classis præfectus suas naues ad Broagium duxit, ut obsessis opem ferret si ab hostibus premerentur. Sangeonus Royani præfectus, cum uidet hostes quos ad se uenturos crediderat ad Broagium obsidendum vires conuertisse: nauem vario comœatu onustam ad obsessos misit, ipse cum valida militum manu Royano egressus in pagum suum in quo turmæ aliquot equitum hospitium habebant, profectus est, & in duas cataphractorum alas tanto impetu inuectus, ut ex eis ad quinquaginta partim capti partim trucidati fuerint. Sed dum se reciperet hostes nouam impressionem in ipsum facientes quosdam occiderunt, in quibus unus ex ipsius fratribus fuit, & alter grauiter vulneratus. Qui Angeliaci in præsidio erant comœantibus

in castra grauiā detrimenta inferebant. Nam cateruatim sin. **A**
 gulis fermè diebus exibant, & diuersis in locis insidias loca-
 bant, in quas Pontificij sæpius incidebant. Ab ijs Pelaizeus
 cum sua leuis armaturæ equitum ala interceptus est, & truci-
 datus. Nec propè castra tantum excurrabant, sed nonnunquā
 Pontificiorum instar cruciati, quo tutius fallerent, Pictauium
 vsque, nonnunquam etiam vltra Ligerim progrediebantur
 magnas prædas agentes, è quibus tertiam partem comuni
 ærario inferebant. Pontificij perductis ad Broagiana mœnia
 fossis, & pluteis erectis tormenta promouerunt, & in urbem
 fulminare cœperunt, magis (sicuti videbatur) vt Lansaccum **B**
 crebro tormentorum reboatu de adducenda properè classe
 admonerent, quo aditus ad urbem hostium nauibus inter-
 cluderetur, quàm quòd obsessis ea fulminatione maximè no-
 cere posse putarent. Hi recognitis turmis, numerum mille
 scloppetarij inuenere. Tunc Condæum certiore fecer-
 e sibi commodissimum ad auertendum hostem ad vrbe vi-
 sum, vt ex classe militum promptissimi seligerentur, qui cum
 Broagiensibus coniuncti ex improviso castra adorirentur:
 hostes quod nondum copias in castra recepissent, insignem
 cladem accepturos. Sed hoc consiliū prudenter excogitatū **C**
 summa incuria eorum, qui rem administrare debebant, suc-
 cessu caruit. Interea prouencalis nauarchus è Broagio soluēs
 cum sua peculiari nauī, in qua ducenti tum nauæ, tum mili-
 tes erant ad classem Rupellensem venit: quatuor etiam An-
 glicæ naues se illi coniunxere. Classis tunc erat viginti qua-
 tuor magnarum nauium præter celoces lembos, & mioparo-
 nes, quorum ingens numerus visabatur. Hostilis classis præ-
 ter quinque triremes sedecim magnas naues habebat. Lansac-
 cus eius præfectus relictis in Garumna triremibus cum solis
 onerarijs in conspectum Rupellensium venit, & duobus pas-
 suum millibus iactis anchoris consedit. Rupellenses etsi nu-
 mero superiores nihil se commouere, quòd pauci tunc mili- **D**
 tes in nauibus essent, qui sequenti nocte è Rupella aduenere.
 Lansaccus in clarescente die sublati anchoris versus Broagiū
 velificauit, & ad tormenti iactum à mœnibus anchoras iecit.
 Rupellensis classis properè eum insequitur eo proposito, vt
 prælio confligeret: sed cum iam plenis velis in eum deferre-
 tur, prætoria nauis, & tres aliæ ex maioribus in sabulum im-
 pegerunt, steterèque ibi immobiles non sine graui periculo
 vsque

A vsque ad vesperam. Tunc prætoriam cum duabus alijs æstu adcedente inde se explicuit. quarta demersa est, saluis tamen tormentis. Sequenti nocte classis mansit in anchoris quingentis tantum ab hoste passibus, perstititque sequenti die vsque ad meridiem, quo tempore propius hostem nauigauit. Tunc vtrinque tormentis certatum, quæ magis ad terrorem, quam ad aliquod graue damnum emittebantur. Cupiebant Rupellenses manus cum hoste conferere sed propter harenarum molles subtus aquam pluribus in locis latentes in quas naues impingere poterant, sicuti iam fuerant experti, vltius procedere non audebant. Clarmontius consilij inops in re tam difficili conuocatis ducibus quid potissimum agendum censerent ab illis exquiri: quia non dabatur tutus ad hostilem classem aditus propter Harenarum scopulos. nihil consultius visum, quam vt aliquot minora nauigia fasciculis, pice, sulfure, & alia materia, quæ facile flammam corripit, impleantur, quæ rudentibus inter se adligata adiuuante vento cum maris æstu in naues hostium impellerentur. Hac ratione fieri posse, vt illæ corripiente flamma incenderentur, aut obscissis rudentibus, quibus naues retinentur in sabulosum litus illiderent, & ita tota classis dissipata inutilis redderetur. Sed quia res pessimè administrata fuit, euentum qualis sperabatur non habuit. vna tantum maior naus quæ post prætoriam primum locum in classe tenebat (Scithia illa vocabatur) in periculo fuit, quæ ab incendio aliter se liberare non potuit, quam in Broagianam stationem fugiendo. Qui in ea erant cum ab obsessis multis tormentorum iectibus impeterentur simulata deditione periculum euasere. Siquidem Broagiani verum esse credentes, quod à nautis & militibus se deditionem facere clamantibus dicebatur: à displodendo cessarunt. Interea illi remis gnauiter inherentes & deferente maris æstu vltra urbem statim delati sunt. Ea naus obsessis plurimum postea nocuit. nam commeatus qui aduerso flumine in urbem importari solebant, interclusi ab illa fuere. Postridie eius diei ab Olleronsibus Clarmontio est indicatum, visas fuisse triremes, quæ pertinaci remigatione se Lansacco coniungere festinabant. Statim sex onerarias naues, & duodecim partim celoces, partim mioparones in occursum illis misit in quibus erat magnus scloppetariorum numerus. Hæ cum triremes inuenissent, eas ad certamen cogere non potuere, quod velis

& remis effugerent, & onerariæ naues leni admodum vento A
 vterentur. Interea inter duas classes leuiâ certamina à mio-
 paronibus & lembis serebantur sine magno detrimento.
 Clarmontius cum hostem ad pugnam elicere non posset :
 scaphas, & lembos è Rupella adduci iussit, quæ fascibus, &
 alia incendiaria materia impletæ excitato igne in hostilē clas-
 sem cum æstus adcederet (quod antea tentatum fuerat) impel-
 lerentur. Sed inutilis ille conatus & sumptus fuit. siquidem
 à lembis, & scaphis, quæ in eam rem excubabant, incensa na-
 uigia facilè disiecta sunt, ita vt nihil damni attulerint. Trire-
 mes, quæ fugiendo aleam prælij vitarant, cum à quatuor o- B
 nerarijs, & sex mioparonibus continenter persequentibus
 valde infestarentur, ita vt ad classē suam appellere non
 possent : in Charentam intrarunt. Clarmontianæ naues in
 ostio fluminis anchoras iecere, vt illas ab exitu prohiberent ;
 sed cum id difficillimum videretur propter profluentis ni-
 miam latitudinem : statuere acceptis à sua classe pluribus ce-
 locibus, eas vera vi adoriri, hoc verò propter dissentientes
 ducum opiniones, & tarditatem in rebus, quæ celeritatem
 requirunt, administrandis, euentu caruit. Plebs Rupellensis C
 maximè indignabatur tantos sumptus, quos in educenda
 classe fecerat, inutiles esse, & quod nauarchi multis occasio-
 nibus turpiter defuissent, aliquam ibi prodicionem suspica-
 batur. Multi palam in illis ignauiam damnabant, & totius
 rei inuidiam in nobiles præcipuè deriuabant. Condæus, cui
 hæc audire permolestum erat, ad Clarmontium misit, qui
 eum admoneret quantum plebs de inefficaci eius militia ex-
 acerbata erat, simulque ipsius nomine rogaret, vt excitatos
 de se rumores omni adhibita diligentia extingueret, quod
 fieri non poterat, nisi quamprimum cum hoste conflingeret.
 Interea Monluccius iunior iussus triremes ad cæteram clas- D
 sem Pontificiorum ducere, imposito in eis magno militum
 subsidio attolli anchoras præcepit, & superato fluuij ostio
 in altum enauigauit deceptis Clarmontij nauibus quæ adi-
 rum obseruabant; quandoquidem in pleniori æstu cum ma-
 ris vndæ latè per littora sparguntur, & harenarum scopulos
 profundè occultant : longè à medio canali ubi naues Rupel-
 lenses excubabant æquor ingreditur, & breui ad classē per-
 uenit. Tunc Clarmontius diutius prælium differre noluit,
 sed ad proximum maris æstum dimicare constituit, pluribus
 visus.

Avisus magis desperatione, quàm ratione, & consilio, ad certamen duci, cum omnia hostibus arriderent, sibi essent contraria. Illis enim multum auctæ vires erant accessu triremium, quòd hæ in malacia onerarijs nauibus plurimum detrimenti adferre possint, quæ nisi perflante vento induentur. Rerum militarium periti non satis demirari poterant, Clarmontium per septem integros dies coram hostili classe auxilio triremiù destituta in anchoris otiosum stetisse, nihil de pugna cogitātem, adcedentibus illis prælium importunissimò tempore decreuisse. Maximam etiam admirationem hoc factum hostibus præbuit, qui sibi persuadere non poterant tantam inesse Rupellensium Nauarchis amētiam, vt iniqua adeò sorte prælium inire vellēt, quin potius eos (quòd necessitas suadebat) retro abituros ad aliquod spacium putabāt, vt impetum triremium eluderent. vt verò res vesana temeritate cœpta fuit, sic fœdum exitum habuit. Cùm sublati anchoris Rupellenses prælio se adcingerēt, & iam factis in singulis nauibus precibus auxilium numinis implorassent: ecce triremes non expectato pugnae signo in illorum prætoriam & aliam celsam nauim, quæ in classe secundum locum tenebat) florescens ei

Cnomen erat & ad ciuē vnum Dieppensem pertinebat) tantam tormentorum procellam effuderunt, & maximè in prætoriā, quæ illis propior erat, vt multis hominibus in ea occisis, & vulneratis, alijs in subiectos lembos desilientibus: pauci cū Clarmontio metu attoniti, & consilij inopes in foris remāserint. Stabat prætoria immobilis veluti pro scopo triremiù tormentis obiecta, nec patebat effugio, aut defensionis locus, quòd ventus omnino subsedisset, & sociæ naues opē adfligere non possent, quia sublati anchoris à rapido æstu in naues hostiles aut harenarum cumulos ferebantur, nec à magnis

Dstris peritè regi poterant. Stabat adhuc in anchoris florescens, quæ se impedimento prætorix esse existimans, quò minus tormenta sua in hostes commodè displodere posset, paululum ab illa deflexit, sed in non animaduersam harenarum molem statim impegit. Tunc triremes ad eam adcedentes tam acri impetu diuerberarunt, vt parum absuerit, quin quassata demergeretur. In tanto periculo constituta se non deserit, sed collatis in prora maioribus aliquot tormentis in triremes valde propinquas pilas aliquot intorsit è quibus triremis vna non leuè damnum accepit, quæ

cum inde se explicare conaretur in harenosum scopulū illisit, **A**
 à quo à lembis multis adiuta vix se explicare potuit. Sub
 vesperam Clarmontius damnato infœlici committendæ pu-
 gnæ consilio classem è canali in altum subduxit, in qua ma-
 gnus sauciorum numerus inuentus est, qui omnes Rupellam
 sunt deuecti: Occisi fuere ad triginta, in quæis aliquot nobi-
 les, & nauium magistri. Postridie vniuersa classis antè insulam
 Aisseam anchoras iecit. Ad eam venit sub vesperam Con-
 dæus de incommodo accepto plurimum dolens, quantum
 potuit tamē suos non leuiter perturbatos solatus est. Rupel-
 lenses itidem duos primariæ notæ ciues misere, qui singulas **B**
 naues inuisentes hortati sunt, vt bono animo essent & bene
 de victoria sperarēt, ciues omnia necessaria ipsis subministra-
 turos. Non ex hostium fortitudine sed ex malacia hoc quale-
 cūque damnum acceptum fuisse quod rependere hostibus
 non difficilè esset. Pòst biduum classis ad oram Rupellensem
 venit, à qua naues à priuatis hominibus instructæ statim di-
 scedentes ad peculiare commodum quærendum in varia di-
 lapsæ sunt, relicta publicæ causæ defensione, ita, vt in aditu
 portus quatuor tantū mediocres naues cum prætoria, & flo-
 rescente manserint. Rupellæ tunc renouatæ querelæ & dissi- **C**
 dia inter nobiles & plebem aucta, adeò vt res videretur in a-
 pertam seditionem deuentura nisi maturo remedio ijs proui-
 deretur. Huic malo grauè incommodum adcessit, quod pu-
 blicam causam valde labefactauit, & Rupellenses in sollicitu-
 dinem non mediocrem coniecit. Olleronenses fœdam classis
 dissipationem videntes, cum Pontificijs se coniungere, &
 præsidia ab illis acceperè. Dieppensis florescentis dominus
 tanta dissipatione classis considerata, statuit nauem suam in
 altum educere, & ad fœliciores militiam mittere. timebat e-
 nim ne si diutius in ea ora maneret, hostibus præda fieret sed **D**
 periculum præuisum vitari ab eo non potuit. Paulò pòst e-
 nim navis in potestatem hostium venit. Prætoria lacera, quòd
 profunda aqua indigeret, non potuit Rupellam deduci, vt re-
 ficeretur, quòd autem bello inutilis esset, tormentis maxima
 ex parte exarmata est, & nautis, atque epibatis nudata. Cæ-
 teræ naues cum ab ijs nullum auxilium, si hostis ingrueret,
 sperarent, eam oram deferere & in priuatam militiam abire
 voluere. Rupellenses in ea rerum confusione maximè per-
 plexi tres mediocres naues de nouo instruxere, quarum
 inutilis

A inutilis sumptus fuit, nulli enim *vsui* aduersus tam validam classem esse potuere. *Lansaccus* de perturbatione hostiū certior factus occasione non deest, assumptis quinque triremibus. octo onerarijs nauibus & magno lemborum numero ad *Rupellanum* littus nauigauit. Triremes propter *Malaciam* precedebant, quæ *Rupellensium* prætoriam tormentis impetentes tribus in locis perforarunt, ita vt aquam admitteret. Nulli fermè milites in ea remanserant, & nauæ admodum pauci, qui partim in subiectam scapham, partim in mare desilientes se à periculo subduxere. Vix enim trecentis passibus à littore

B aberant, quatuor exceptis, qui tormentorum pilis discerpti sunt. Tres aliæ naues non longè à littore erant, quæ remulco prope terram tractæ, ne in hostium potestatem deuenirent in sabulum imegere. Qui in triremibus erant prætoriam ab omnibus desertam conspicati propius adcedunt, vt eam ad *Lansaccum* adducerent, sed cū viderent illam seruari non posse, quod per rimas & foramina aqua intraret: iniecto igne cremarunt. Triste spectaculum *Rupellensibus* fuit, qui è turribus ac mœnibus flammam latè lucentem conspiciebant. Decem adhuc tormenta in prætoria erant, quæ decedente

C maris æstu è profundo extracta fuere, sed adeo læsa à flammis vt nulli amplius *vsui* priusquam refunderentur esse potuerint. Florescens, quæ mane sublati anchoris ad nouam & peculiarem maritimam expeditionem se parabat, subsidente vento in male fida ora manere coacta est. Ea adcedentibus triremibus cū propter malaciam nec in altum educi, nec ad vllum portum effugere, nec ad terram illidere posset, neque pugnam sustinere ob militum paucitatem (quandoquidem supra triginta homines tunc non habebat) post primos tormentorum ictus inuadentibus triremibus deditionem fecit. Eandem sortem tulit alia nauis quæ effugere non potuit. Quotquot autem in illis duabus nauibus capti fuere tum nauæ tum milites ad triremium transra cathenis alligati sunt. Florescens ante *Broagium* ducta, vt obsessis illuderetur, qui magnam spem recipiendi auxilij in classe ponebant. Illi post dissipatam suorum classem arctiori obsidione pressi sunt, & vt ijs, qui è *Rupella* venirent iter præcluderetur: propugnaculū erectum est è regione oppidi, in vltiori fluminis ripa. Obsessi antequam planè esset absolutum in scaphis amnem traiecere, & ex improviso eos qui propugnaculum custodiebāt

adorti, magnum numerum illorum interfecerunt, & milita- **A**
 ria signa secum in urbem retulerunt. Nouum præsidium
 & priori validius eò statim à Cenomanio missum. Is perdu-
 ctis prope oppidum fossis, duobus in locis tormenta promo-
 uit, quorum alia mœnia recta impetebant, alia ex obliquo
 feriebant. Mœnia diuerberari cœpta ea parte quæ lupi pas-
 sus dicitur, quòd minus firmus totius oppidi locus esset, ita
 vocatus, quòd in urbis exordio lupi facillè illac transibant.
 Is locus quia tormentorum violentiæ diu resistere non po-
 terat nocte magna diligentia munitus fuit, extructo in labro
 fossæ propugnaculo, eò facilius & celerius, quòd locus pa- **B**
 lustris & vliginosus tenacem glebam abunde suppeditaret.
 Pontificij vno die in illud ad quingentas pilas contorsere,
 tum magno impetu facto custodes inde depulere, sed super-
 ueniente opportunè auxilio statim ab obsessis est recupera-
 tum. In eo congressu Manducagius oppidi præfectus lethali-
 ter est vulneratus. Postridie sub vesperam Condæus ad du-
 centos scloppettarios in septem mioparonibus in subsidium
 obsessis misit. Hi descensionem inter ostium Charentæ flumi-
 nis, & Broagij portum fecerunt, quilibet ferebat in sacco
 pondus circiter quindecim librarum triginta nauticos po- **C**
 nes, sex libras sulfurei pulueris, & aliquot orgias igniarij
 funiculi. Cùm sub diluculum ad exteriorem ripam Broagia-
 ni, amnis peruenere, à Pontificijs excubantibus animaduersi
 statim inuaduntur. Socij, qui in lembis excubabant de ipso-
 rum periculo admoniti auxilio adcurrere, sed cùm nauigia
 ad traijciendum conscendere properarent magna confusio
 inter eos facta, ita, vt è ducentis vix centum quadraginta in-
 columes in urbem peruenirent, quorum magna pars arma, &
 sarcinas amisit, cæteri trucidati, aut capti sunt. Ex Pontifi-
 cijs aliquot viri fortes desiderati. Obsidentes sensim ad mœ- **D**
 nia adcedebant, & fascibus, virgultis, saccis arena plenis
 fossam implere conabantur. Cùm obsessi eos impedire non
 possent, introrsus fossam latam & profundam ducere cœpe-
 runt vt obiectu nouæ munitionis impetus inuadentium re-
 tardarentur. Illi etiam subitariam munitionem, ex materia
 fasciculis, & vinarijs dolijs è regione extantis propugnaculi
 erexere, in qua quinque collocatis tormentis acerrimè propu-
 gnaculum diuerberarunt. Obsessi magna diligentia quod col-
 lapsum erat restaurabant, sæpèque erumpebant, vt munitio-
 nes

A nes hostium incenderent, quod tamen efficere non potuere, propter custodum diligentiam, qui eas curiosè, & sollicitè tuebantur. Cùm viderunt autem se ad inopiam sulfurei pulueris ferè redactos, & deuicta classe parū spei superesse, quod à Condæo iuuari possent, eruptionem facere decreuere, vt munitiones hostium incenderent, & tormenta clauis configerent. Qui primi erupere, cohortes, quæ in statione erant in fugam verterunt, sed postremis non sequentibus cùm ad munitionem Heluetiorum venire: ducem cum decem è suis militibus amiserunt, cæteri omnes vulnerati, qui cum magna difficultate se in oppidum recepere, capti etiam aliquot fuere. Dū irritæ spei dolore, & suorum iactura obsessorum animi affligerentur: allatæ sunt Condæi literæ, quibus non parum fuisse recreati, quod promptissimum auxilium illis promitteret. Rupellenses, quod sua consilia à confœderatis Pontificijs, qui in vrbe erant hostibus fuissent detecta, voce præconis pronunciari iussere, vt omnes qui apud se religionis Pōtificiæ essent, aut qui aliquando à Reformata religione defecissent, quiue arma alicubi contra doctrinam euangelicam gestassent, protinus vrbe excederent. Per ministros euangelicos etiam Condæum orarunt, vt neminem Pontificiæ religioni addictum in suo famulatio retineret. Qui in vrbe erant peregrini, Pontificiam religionem profitentes exiire, ciues amicorum fauore, qui pro illis intercedebant, in vrbe manere permissi sunt. Respondit ministris Condæus, suorum domesticorum fidelitatē se in multis rebus expertum, nec quenquam habere suspectū ex illis, qui sua consilia velit hostibus patefacere, satisque ostendit eam ministrorum admonitionem sibi non admodum gratam fuisse. Qui Broagium obsidebant, tres colubrinas in ea munitione quam contra urbem erexerant, collocarunt, quibus grauius damna hostibus intulerunt. aliquot enim naues, quæ in statione erant, demersere, & pinnas mœnium decussere multasque oppidi ædes deiecere. Obsessi forsam extrorsus duxere, vt ab accessu mœnium hostes prohiberent. Panis iam illis deficiebat, pro quo pisces, quorum copiam habebant, vescabantur, & sulphurei pulueris magnus erat defectus, & quantum habebant, in oppugnationis diem seruabant. Ob id crebra transfugia singulis noctibus ad hostes fiebant, omnisque spes auxilij exciderat. Obsidentes cognito ipsorum statu ad mœnia adcedebant,

illisque insultantes dicebant Alenconium propediem adfu- **A**
turum, cum Isoeram expugnasse ubi nec hominibus, nec te-
ctis pepercerat: nisi ante ipsius aduentum deditionem face-
rent, ipsos eandem sortem cum Isoerensibus subituros. Cum
in ijs angustijs essent, tribunum Loseum ad Condæum Ru-
pellam miserunt ei significantes, nisi infra biduum subsidium
alicunde ipsis mitteretur: conditiones ab hostibus accipere
cogerentur. Condæus omni adhibita diligentia quantum
potuit comaeatu & bellico apparatu multos lembos, & ce-
loces impleuit: & misso ad obsessos nuncio significauit, se
proxima nocte subsidium missurum, sed aduersante vento i. **B**
ter interruptum fuit. Nautis per quatrimum ventum secun-
dum expectantibus Lansaccus de ipsorum consilio certior
factus est, qui ostium fluminis per quod necessario illis eun-
dum erat malis nauium, longis tignis, perticis, & palis obse-
psit, cathenis ferreis, & rudentibus diligenter obfirmatis. Iu-
xta illud munimentum triremes & celoces collocauit, ita ap-
positè, vt nullus Rupellensium nauibus daretur ad obsessos
aditus. Illæ ventum secundum naturæ institutum cursum te-
nuere, sed cum propter triremes, & palorum seriem penetra-
re ad obsessos non possent: proras flectere coactæ sunt, sed **C**
persequentibus triremibus vix ad oram Rhetix incolumes
euaſere. Erant inter eas duæ onerariæ, quæ vento destitutæ
velificare non poterant, ideo à lembis remulco trahebantur.
In quas cum triremes impetum facerent, quam propius ter-
ram potuere appulere, & nautæ & milites qui in illis erant
in celoces, & lembos descendentes ad defensionem se para-
runt. Triremes prælij aleam vitantes reflexis proris ad suam
stationem rediere. Obsessis frustra à Condæo auxilium expe-
ctantibus, & multis difficultatibus circumuentis paciscendi
cum hoste occasio se obtulit. Manducagius præsidij præfe- **D**
ctus, qui ex vulnere decumbebat, à Cenomanio fidem publi-
cam sibi dari postulauit, vt ipsi liceret per castra ad aliquod
oppidum proficisci curandi vulneris causa. Cum hoc nego-
tium tractabatur: Stroza arripuit occasionem cum obsessis
colloquendi, quibus declarauit, se ipsorum sortem magno-
pere dolere, quod in tantas angustias coniecti pertinaciter vr-
bem defendere vellent. Præstare sub honestis conditionibus
deditionem facere, quàm vana constantia exitium certum si-
bi accersere. Et quo magis eos ad petendam pacem incitaret,
osten-

- A** ostendit literas, quas nuperrimè Rex ad Cenomanium scripserat, quibus significabat, Alenconium cum suis copijs breui in eas terras aduenturum. Ipsos æquioribus conditionibus à Cenomanio pacem impetraturos, quam ab Alenconio. idcirco ante illius aduentum deditionem facere maturarent, & diligenter cauerent Isoerenfium sortem experiri. Vt commodius de hoc negotio tractare inter se possent obsidentes & obsessi: pactæ in aliquot dies induciæ sunt, quo tempore cum obsessi sæpius cum Stroza, Puygallardo & Lansacco conuenissent, post varias de conditionibus dedendæ vrbis
- B** disceptationes, tandem in has præsidarij descendere, vt cum armis & suppellectile, vrbe excederent & quò vellent abirer. Si per terram iter facere luberet à Stroza, & Puygallardo in pacatum deducerentur: si per mare, à Lansacco. Oppidanis & proximarum insularum incolis in vrbe manere liceret relicta ipsis conscientiarum libertate, & omnium bonorū libera possessione: Tormenta, quæ in vrbe erant, intra octo dies Rupellā mitterentur. Pro transactionis confirmatione vtrinq̃ue obsides dati: pro obsidentibus Borsius, & Bongoinus, pro obsessis Cormontius, & Guillonuilla. Missi sunt
- C** Rupellam ad Condæum, qui ipsius assensum de transactione peterent. Multi eum hortabantur vt illam repudiaret, quòd ipso, & Nauarræo inconsultis facta fuisset. Non improbauit tamen eam Condæus, sed vnum se requirere dixit, vt articulus adderetur de libertate reddenda ijs, qui in Florescente & socia naue capti fuerant. Aduocatis autem in antèrius cubiculum suum Broaginorum nuncijs, dixit, si ad quatuor tantum dies deditionem prorogare possent, se cum Nauarræo effecturum vt Cenomanius cum ignominia obsidionē soluere cogeretur. Id verò ab illis cōmodissimè posse fieri,
- D** si astutè de illo articulo disceptando tempus protraherent, simulque peterent, vt Razesus & Chardonus tribuni sine redemptionis precio dimitterentur, & tormenta, atque crassiores scloppetti Rupellensium absque vlla mora remitterentur. Item obsides quos Pontificij promiserant, Rupellam prius appellerent, quàm præsidium ex vrbe deducere. Cum ij, qui ad Condæum missi fuerant Broagium rediere, & eius mandata renunciauere: tribuni id nullo modo fieri posse dixere, quòd à Condæo iubebatur, quòd milites iam de exitu cogitarent, & hostes in muri ruina, & mu-

nitionibus fossæ multo potentiores essent. Itaque ad condi- **A**
 ctam horam faucij & ægroti exiere, qui Rupellam nauigio
 delati sunt. Cæteri Pontes, & Rupellam terrestri itinere de-
 ducti. Eo deditionis die Cenomanius urbem ingressus fidem
 publicam promisit ijs, qui se eo recipere vellent, cuiuscun-
 que religionis essent, etiamsi eo in bello arma pro Reforma-
 torum causa tulissent. Rupellenses ad eam deditionem ma-
 ximè attoniti fuere, qui sibi persuadebant præsidium vsque
 ad tempus à Condæo præfinitum urbem defensurum. Ipse
 Condæus trecentis equitibus comitatus iter arripuerat, ut
 se cum Nauarræo coniungeret, & Nauarchis præceperat, **B**
 ut quam maximo celocum & lemborum numero coacto
 ad hostes nauigarent, eosque distinerent dum terrestres co-
 piæ in castra irrumperent. Per Angeliacum transiens ubi
 suas copias auxit rectà Barbezicum profectus est: inde ad
 Bassaccum, ubi Charentam traiecit, postea Pontes perue-
 nit, frustra persequente Pontificiorum equitatu. Cenomanius
 Broagio in potestatem redacto copias versus Xanctium, &
 Cognacum duxit. Quædam equitum alæ ad Pontes vsque
 processere, in quas præsidium erupit, & aliquot peditibus
 in insidijs locatis equites propius hostes processere ad pu- **C**
 gnam prouocantes, ut eos in insidias pertraherent: sed illis
 detectis Pontificij congressum vitarunt. Stetere diu in mu-
 tuo conspectu in acie immobiles quasi pactæ inter eos indu-
 ciæ essent, & sine vllâ pugna à se inuicem dirempti sunt.
 Condæus ea nocte Pontibus discedens Bergeracum profe-
 ctus est, & post aliquot dies cum Nauarræo Monguionem.
 Eo etiam venere Thuringius & Noæus, qui ex Occitania
 redibant. Postquam de toto belli negotio illi simul delibe-
 rarunt: Nauarræus Bergeracum se recepit, Condæus Pon-
 tes, Rohanius Rupellam comitantibus eum circiter trecentis **D**
 equitibus, qui Condæum sequuti fuerant. Lansaccus post
 expugnatum Broagium se insularum præfectum nomina-
 bat. Huius mandatis cum sola Rhetia parère detrectaret: ad
 eam cum triremibus profectus est onerarijs sequi iussis. de-
 scensionem autem facere non ausus est, quod illam firmo
 præsidio munitam sciret. Ibi enim erant milites supra mille,
 non annumeratis insularis. Præcipui duces erant Morin-
 uilla, & Popeliniercus. Stabant in anchoris ante insulam
 ad sexaginta naues mercatorum, maxima ex parte Anglicæ
 natio-

Anationis, & cum illis nauis vna Rupellana militariter instructa. Lansaccus mercatores coegit Olleronem, & Broagium ire ad salem coeundum, cuius causa in eam oram venerant. Angli conquerebantur sibi fieri iniuriam, quòd eò quò nolebant per vim abducerentur. se bonæ fidei mercatores esse, & in ciuilibus Gallicis bellis non debere implicari. Regina Angliæ cum vim suis illatam rescit, per legatum suum apud Regem conquesta est: multas insuper Gallicas naues quæ tunc in Angliæ portibus erant retineri iussit. Nauis Rupellana, quæ cum Anglicis erat noctu in altum prouecta Lansacci manus effugit, ipse Broagium se recepit. Sub finem Septembris Condæus, qui Angeliaci erat, articulos conciliatæ pacis recepit, cum iam dies in tenebras abiisset: quam eadem ipsa hora tædis & facibus accensis publicari curauit, & die sequenti Rupellæ. Vt magis autem pax illa confirmaretur meliusque omnibus innotesceret, edictum conceptum est sexaginta quatuor articulis comprehensum, quorum hæc summa erat.

Ad abolendam omnium offensarum quæ in bello acciderunt memoriam, prohiberi omnibus illarum mentionem **C** vllam facere.

Deijs lites in curia, aut iurisdictione vlla mouere, inter se contendere, disceptare, se inuicem dicto, factoue prouocare, vlla occasione, causa, aut prætextu.

Regem edicere, vt religio catholica, apostolica, Romana instauraretur in omnibus regni prouincijs, vrbibus, & pagis, vbi illius exercitium intermissum fuit.

Ne quis ecclesiasticos in celebratione diuini cultus, frui-
tione, vsu, perceptione decimarum fructuum sacerdotiorum,
iurium & officiorum, quæ ad eos pertinent, inturbaret,
D aut aliquo modo impediret.

Qui belli tempore ecclesias, ædes, facultates, redditus pertinentes ad ecclesiasticos occupassent, eorum integram, & pacatam possessionem dominis relinquerent.

Permitti omnibus Reformatæ religionis hominibus viuere & habitare in omnibus vrbibus, & pagis totius regni, ita, vt à nemine cogi possint aliquid in religionis negotio contra conscientiam facere.

Permitti omnibus nobilibus religionem Reformatam profitentibus, qui summam iurisdictionem, aut liberum feudum

habent, in proprietate, aut vsufructu exercitium habere suæ **A** religionis, vbi præcipuam habitationem elegerint, siue illi præsentés fuerint, siue familia tantum, in alijs domib. quamdiu ibi præsentés fuerint, & hæc non solum pro familijs & clientibus, sed omnibus quicunque venire eò voluerint.

Alijs nobilibus, qui summam iurisdictionem, aut liberum feudum non habent, exercitium illud concedi pro familia tantum. Si tamen ex amicis ad eos venerint, vsque ad decem, aut aliquot alij homines pro baptismo faciendo modò denarium numerum non exceſſerint, illis crimini imputari nō posſe. Sic autem hæc intelligi debere, vt ex nobilium ædes non **B** ſint in vrbibus, aut pagis, qui pertinent ad nobiles Pontificiæ religionis liberum feudum habentes, ſine quorum licentia Reformatis suæ religionis exercitium facere non licebit.

Permitti Reformatis cuiuscunq; conditionis cōtinuare illius suæ religionis exercitium in omnib. vrbibus & pagis in quibus erat decimoſeptimo ſeptembris, illis exceptis, qui ad Pōtificios pertinet, quos occupabant Reformati, ſi ante nouiſſimum bellum nullū exercitium illius religionis inibi fuerit.

In quacumq; eparchia in ſuburbijs vnius vrbe, aut in pago vno exercitium illius religionis, pro omnibus qui adesse **C** voluerint, permitti, in alijs locis prohiberi, tum miniſterij, tum institutionis puerorum reſpectu.

Itē in aula Regis, & ab illa quatuor paſſuum millibus, in Trāſalpinis regionib. vrbe Lutetia, & viginti paſſuū millib. ab illa, cōceſſa tamen conſcientiarum libertate illic habitantib. ita vt cogi non poſſint ad ſacrum Pontificiorū adcedere.

Omnib. concionatoribus, leſtorib. profeſſoribus artiū, & alijs, qui publicè verba ad populū habēt, inhiberi vti verbis, quæ plebem ad ſeditionem mouere poſſint, nihilq; illis permitti ad docendū, quod ad institutionē auditorum nō faciat. **D**

Omnibus Reformatā religionē profitentib. edici, vt feſta in eccleſia catholica, apoſtolica, Romana indiſta obſeruent, ita, vt illis nec operari, nec vendere, nec merces vænū expone re tabernis apertis licitum ſit, nec in diebus, quibus ab eccleſia eſus carniū eſt interdictus macella aperire.

Illis non permitti, vt libros vllos vendere poſſint, niſi prius ab officiarijs regijs examinati.

Omnium famoſorum librorum impreſſionem, publicati onem & venditionem omnino prohiberi,

Edici

A Edici vt nulla fiat distinctio respectu religionis in recipiendis scholasticis, vt instituantur in academijs, collegijs & scholis, neque in egrotis, atque egenis in ptochodochijs, & nosocomijs, publicisque eleemosynis.

Item Reformatis edici vt seruent leges catholicæ, apostolicæ, Romanæ ecclesiæ in regno Galliæ receptas, propter matrimonia contracta, aut contrahenda in gradibus consanguinitatis & affinitatis, ad vitandas, quæ inde oriri possent, lites & contentiones, quæ insignium familiarum ruinam secum trahunt & amicitias dissoluunt, quæ per connubialia

B fœdera inter Regis subditos contrahi solent.

Item vt decimas soluant Curionibus, & alijs ecclesiasticis personis secundum vsum & consuetudinem locorum vbi habitauerint.

Reformatis etiam autoritate regia concedi, vt ad publica munia siue principalia, siue municipalia admittantur ea ratione, vt aliud iuramentum præstare non teneantur quam se fideliter exercere velle munera & dignitates quibus erunt præfecti, & à consilijs, deliberationibus & functionibus, quæ depêdent ex illis muneribus & officijs non excludantur.

C Vt ius omnibus legitimè reddatur, Regem velle, & decernere in supremis Curijs Parisijs, Rothomagi, Diuioni, & Rhedonibus iurisdictiones peculiares constituantur in hunc modum: vt Parisijs iurdictio sit præsidis vnus & sedecim consiliariorum: Rothomagi præsidis vnus & duodecim consiliariorum: Diuioni præsidis vnus & decem consiliariorum: similiter & Rhedonibus.

Qui præsides & consiliarij eligentur à Rege ex numero illorum qui sunt in illis Curijs.

D Burdegalæ iurdictio constituatur duorum præsidum, quorum alter sit catholicus, alter Reformatæ religionis: duodecim consiliariorum, quorum Octo erunt Catholici quatuor Reformati. similiter fiat Gratianopoli, Aquis sextis & Tholosæ.

Illis nouis iurisdictionibus potestatem à Rege dari absolute iudicandi extra omnem appellationem in omnibus causis, tum ciuilibus, tum criminalibus, in quibus Reformati, & qui eorum partes sequuti sunt erunt vel actores, vel defensores.

Itē Regē velle & decernere, vt omnes reformatæ religionis cōseruentur in fruiione & possessione præfecturarum, munerum & officiorum, in quibus autoritate regia fuerant constituti.

Insuper vt recuperent possessionem omnium bonorum, A
 facultatum, iurium & actionum, à qua propter ciuiles tumultus exciderant. Regem etiam statuere, vt exheredationes, & priuationes bonorum, quæ factæ sunt in odium religionis, nullam vim habeant. viduis, & pupillis eorum, qui Lutetiæ, vel alijs vrbibus, pagisue regni interfecæ fuerint vigeli mo quarto die Augusti & sequentibus diebus in anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, immunitates in sexennium concedantur omnium tributorum & onerum.

Omnes processiones, quæ institutæ sunt in memoriam occisi ad Bassaccum Condæi principis, & cædis Sanbarptolo- B
 meanæ aboleantur, quòd illæ memoriam præteritorum tumultuum refricent, & odiorum semina conseruent.

Omnia statuta, decreta, edicta contra Reformatos tum viuos, tum mortuos à morte Henrici regis secundi in odiū suæ religionis facta abrogentur.

Omnes captiui, qui autoritate magistratus, aut aliter detinentur: vtrinq; libertati restituantur sine vlllo redemptionis precio.

Omnes tituli schædæ, syngraphæ à dominis ablata ijs C
 tribuantur, ad quos pertinent.

Reformati posthac tributis & alijs oneribus ciuilibus nō magis premantur, quàm catholici.

Præsidia, quæ sunt in domibus, castellis, vrbibus ad quosdam peculiare dominos pertinentibus, inde deducantur, & libera possessio dominis relinquatur.

Liberum commercium per omnes vrbes, pagos, pontes, & transitus vniuersi regni restituatur, omniæque tributa, atque portoria sine Regis autoritate imposita prouinciæ cessent.

Omnes prouinciæ, vrbes, arces totius regni vtantur, fruantur eisdem priuilegijs, immunitatibus, libertatibus, nundinis, iurisdictionibus quib. vtebatur ante excitatos tumultus. D

Liberi eorum qui à morte Henrici secundi religionis causa, & vitandorum tumultuum regni finibus excessere, tanquā regnicolæ, & in Gallia nati habeantur.

Rex etiam eo edicto testabatur, se Nauarraum, & Condem fideles agnatos clientes, & subditos agnoscere, similiter omnes regulos, equestri dignitate ornatos viros, nobiles, officarios, ciues, & alios regnicolas, qui illorū partes sequuti sunt fideles subditos & seruos.

A Casimirum Palatinū fidum vicinum, agnatum, & amicū. Pro exactionibus quas fecerunt in populum, regia pecunia intercepta, & ciuitatum, atque ecclesiarum redditibus, venditionibus bonorum, multis impositis, & redemptionū precijs, cūsis monetis, arcibus nouis extructis, veteribus dirutis, templis, & priuatis domibus incensis, fœderibus cum exteris hominibus initis, peregrinis armis in regnum introductis rebelles haberi non debere.

Iubebat autē vt omnibus fœderibus, & societatibus, quas habebant extra regnum prorsus renunciarent.

B Prohibebat ne in posterum à populo pecuniam exigerent, nec delectus militum haberent, nec conuentus agerent, sine ipsius indultu & auctoritate.

Promittebat ad diuertēda aut saltem mitiganda odia, quæ ex damnis acceptis, aut alijs offensis in præteritis bellis emerere, se traditurum in sexennium aliquot vrbes, quæ pro asylo Reformatis, eorūque socijs essent: in Delphinatu, Nyonsum & Serram urbem cum arce: in Prouincia Seynam, magnā turrin & circumiectum agrum: in Occitania, Monpessulum, & aquas mortuas: in Aquitania, Perigurium, Reollam, & Massum verduni, ob quarum urbium restitutionem Nauarraus, Condaus & viginti nobiles Reformatae religionis, aut alij, qui ipsorum partes sequuti fuerant, quos Rex eligeret, fideiussores essent, & qui illarum custodiæ præficerentur illas se Regi seruatueros solenni iuramento promitterent.

Fuit hæc pax omnibus regnicolis vtriusq; religionis quàm gratissima & præcipuè Rupellensibus, quos belli maximè redebat, non solum propter inutiles sumptus, quos in educenda classe fecerant, proptèrque insulas ab hostibus occupatas, vnde maxima rerum suarum detrimenta, & præsertim

D in nauigationibus, quæ illis ferè erant interclusæ, sentiebant: sed quod nullum auxilium receperant, à quibus à principio huius belli sperauerant. Neque enim naues quas ab Hollandis petierant, opportuno in tempore habere potuere, nec mutuatitiam pecuniam in Anglia. Præterea in partes sedè ducti seditione populari penè laborabant, & à militibus suis maiora damna, quàm ab hostibus recipiebant. Huius autem conciliatae pacis prima laus iure Mompenserio debetur, qui in ea procuranda, nullis laboribus pepercit, & Regem obtestando, Nauarraum sollicitando, regni ordines admonendo,

Pax postrema Mompenserio adscribenda.

effecit, ut ad exoptatum finem eadem peruenerit. Plurimum A
etiā laudis ea in re Nauarræus meretur, qui de populi quiete
magis, quàm de victoria sollicitus facilè passus est, se ad pacē
persuaderi. Sed præcipua huius facti gloria Regi est tribuen-
da, qui nulla necessitate coactus ipsius exercitibus terra ma-
rique victoribus, sed adflictæ plebis gemitibus commotus,
pacem suis terris reddidit. Vnde Galliæ populi, qui oppor-
tunissimo tempore ipsius clementiam in depellendo bello,
quod excidium illis minitabatur senserunt: tam insigne be-
neficium in memoria perpetuò habebunt, regem suum serua-
torem agnoscentes. Nam ut Iouius inquit, Vna clementia B

mortales superis æquat, eiusq; muneris memoria
nunquam apud conseruator ob-
solescit.

FINIS.

RERVM